

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

KYRIACI ANCONITANI

ITINERARIUM

Ciriaco de' Pizzicolli, of Ancona

KYRIACI ANCONITANI
ITINERARIUM

NUNC PRIMUM EX MS. COD.
IN LUCEM ERUTUM
EX BIBL. ILLUS. CLARISSIMIQUE
BARONIS PHILIPPI STOSCH.

Editionem recensuit, animadversionibus, ac praefatione illustravit, nonnullisque ejusdem Kyriaci epistolis partim editis, partim ineditis locupletavit

LAURENTIUS MEHUS
ETRUSCAE ACADEMIAE
CORTONENSIS SOCIUS.

W: Ashburner
— Firenze
1907

FLORENTIAE MDCCXLII.
Ex novo Typographio JOANNIS PAULI
GIOVANNELLI ad Insigne Palmae

Sumptibus Typographi.
PRAESIDUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO, ET AMPLISSIMO

D. D.

FRANCISCO ANT. FERONIO

MARCHIONI BELLAVISTAE

&c. &c. &c.

JO: PAULUS GIOVANNELLI FEL.

KYRIACI Anconitani Ὁδοιπορικὸν, Vir amplissime, in quo totius ἐπιγραμματογραφίας incunabula exhibentur,

clarissimi nominis TUI patrocinio insignitum ex tenebris, in quibus jamdiu delituerat, in lucem, ex inglorio pulvere, quo adhuc sordidus jacebat, in manus eruditorum hominum, atque per ora omnium evolare gestit. Difficillimorum enim itinerum longitudinem, quam Kyriacus ejus parens ad pervestiganda venerandae antiquitatis λείψανα emensus est, & magnam vim veterum monumentorum, quae ex Europa, Aphrica, Asiaque fauste, feliciterque congessit, Amplitudinis TUAE favorem, ac tutelam auctori suo promerituram sperat. Et quidem cum tanto mentis impetu in humaniora haec studia abripiaris, ut quamvis avita generis nobilitate cla-

rus,

rus, amplissimisque auctus opibus eadem colas, eorumque cultores amplectaris: qua nam humanitatis, ac benevolentiae TUAE spe sustentetur Kyriacus, qui Amplitudini TUAE obsequii in TE mei pignus offert historiam memorandi illius itineris, per quod antiquitatis reliquiae tot saeculorum oblivioni traditae, ac prope sepultae ab interitu vindicatae sunt? Heic enim ad hominum cognitionem revocantur triumphales arcus, vetusta epigrammata, Heroum simulacra, delubra divum, aliaque id genus plurima, quorum pervestigatione mirifice delectaris: heic edisseruntur urbium origines, nonnullaque ad historiam spe-

ctantia, quam capaci penitus animo imbibitam complecteris: heic memorantur doctissimi illius aetatis homines Jacobus, puta, Bracellius, Victorinus Feltrensis, Guarinus Veronensis, aliique, quorum improbo ad litteras excitandas labore egregie caperis, ac detineris. Quid quod & laudatos reperies viros illos clarissimos, & hujus Florentissimae urbis, cuius TU grande decus, & ornamentum es, splendidissima lumina, Leonardum scilicet Arretinum, Poggium Bracciolinum, Nicolaum Niccolum, & Cosmum illum Mediceum, quorum vestigia haud longo proximus intervallo insequeris? Nam & graecae, latinaeque

linguae praeſidio inſtructus es, & inſtitutis, atque praeceptis Philoſophiae abundas, & diſciplinarum Theologicarum peritia excellis: animi vero magnitudine, atque in litteras munificentia, quam a majoribus tuis, & potiſſimum a Marchione Sylvio doctiſſimo Avo Tuo hereditario quodam jure accepiſti, eorum nemini cedis. Horum itaque praeſtantiſſimorum virorum, quorum tu ſimillimus es, magnificentiam, atque humanitatem aemulatus hoc opuſculum ſerena fronte laetus excipe, me, conatuſque meos fovere perge, reique litterariae diu incolumis opitulare. Interea TE Deus Opt. Max. fauſtum, ſoſpitemque

ſer-

ſervet, ut maximus ex diuturno favore Tuo felicitatis cumulus, atque incrementum bonis artibus adcedat.

Dabam Florentiae III. Kal. Octobres 1742.

CAN-

CANDIDO LECTORI

LAURENTIUS MEHUS S. P. D.

INter egregios illos humaniorum litterarum adsertores, ac vindices, quibus saeculum decimum quintum in Italia effloruit, quique omnem diligentiam, industriam, atque operam in id potissimum contulere, ut vetera undique monumenta vel e tenebris erepta in lucem producerent, vel jacentia, ac paene oblivioni tradita ad Italorum cognitionem revocarent, non obscuri nominis fuit Ky-

Kyriacus Anconitanus. Hunc siquidem laboriosum hominem, ac bono litterariae Reipublicae natum primum omnium fuisse, qui maxima in eruendis vetustorum marmorum reliquiis diligentia usus sit, testatur maximum ejusdem aetatis decus, & ornamentum Franciscus Philelphus, qui quum in Epistola XXII. Lib. V. ad Franciscum Barbarum scripta Kyriacum Venetias petentem ei commendaret: Non equidem, *inquit*, ignorabam fore, cum Cyriacum Anconitanum tibi essem commendaturus, ut diceres agi a me acta, cum vir ipse sine ulla etiam mea commendatione commendatissimus sit cum virtute sua, quae haud est vulgaris, tum ea diligentia, qua in suscitandis mortuis unus omnium primus utitur. Quem enim unquam hujusmodi laborem suscepisse aut audivimus, aut legimus, ut ex universo prope terrarum orbe quicquid in ullis usquam lapidibus notatum litteris aut graecis, aut latinis unquam fuerit, id reportarit ad nostros? *Tanto enim epigrammatum inqui-*

ren-

rendorum desiderio abripiebatur Kyriacus, ut longissimorum itinerum difficultate contempta non unius Italiae angulos circumierit, sed ad majora adsurgens Acarnaniam adierit, Aetoliam inspexerit, Spartam inviserit, Ægyptum, Peloponnesum, Argos cum Boeotia perlustraverit, aliosque barbaros Asiae populos peragraverit, quorum spoliis onustus magnam ex Oriente antiquorum lapidum vim publicae eruditorum hominum utilitati consulens importavit. Multorum vero populorum monumenta, quae vidit, & multas urbes, quas adiit, recensuit in prolixa quadam epistola ad Eugenium IV. Pontificem, quam ὁδοιπορικὸν, seu itinerarium recte inscripseris, quae quidem quum publica adhuc luce careat, multaque praeseferat haud contemnenda, quae aliquid allatura sint tum jucunditatis, tum utilitatis, heic editam volui, atque tibi, Lector benevole, lubens volensque sisto tamquam sacrum quoddam monumentum resurgentis vetustatis. Sed antequam ad hoc opusculum

adcedamus, pauca de Kyriaco, ejusque scriptis dicenda sunt.

Kyriacum ex Pizecollia Familia fuisse scribit Julianus Saracenus in Notitiis Hist. Anconae Urbis pag. 7., & ex Saraceno Cl. Fontaninus in Vita Philippi a Turre §. X., aliique. Petrus Burmannus vir doctissimus (quem perperam Franciscum appellat Fabricius lib. 3. Bibl. Med. & Inf. Lat. pag. 1260.) quum in proemio Gruteriani Corporis, quod a Io: Georgio Graevio recensitum recudit anno 1707. Franciscus Halma, de primis antiquitatis cultoribus eruditissime dissereret, hujus Anconitani auctoris haud oblitus est; imo quum de eo mentionem faceret Cyriacum Anconitanum Graecum *adpellavit.* Is *(inquit de Nicolao V. Pontifice loquens)* inter alia praeclara promovendae rei litterariae officia Cyriacum Anconitanum graecum uberrimo viatico instructum per varias orbis partes misit, ut lapides veteres conquireret &c. *Sed parcant doctissimi viri manes: nam vel ex solo* Anconitani *vocabulo cognoscere*

re

re poterat ὁ πάνυ, quod Kyriacus non ex Graecia, sed ex Italia fuerit. Siquidem Ancona est in Piceno Italiae provincia, imo insigne Piceni, seu Marchiae Anconitanae caput; & Anconae natum fuisse memoriae prodidit non solum Blondus in Italia Inlust., sed innuit ipsemet Kyriacus pag. XII. hujus Itinerarii, ubi Franciscum Scalamontium concivem suum nominat. Porro Franciscus Scalamontius Anconitanus fuit, quem ut & Nicolaum Scalamontium ejus filium appellat Blondus in Ancona Juris consultos bonarum litterarum studiis ornatos, eosdemque inter claros Anconae viros recenset Leander Alberti in descript. Ital. pag. 280., & Julianus Saracenus in Not. Ancon. Part. III. pag. 515. Ad hunc Franciscum Equitem Auratum exstant nonnullae Philelphi epistolae nempe Lib. V. Epist. XXXV. & LV. Lib. X. Epistola XXIII. Lib. XXVII. Epist. XXXIV. Lib. XXVIII. Epist. V. Lib. XXXVII. Epist. XI.

Joannes Cirignanus Lucensis vir eo sae-

saeculo illustris in carmine quodam ad Kyriacum, quod ex Cod. carthaceo exscriptum huic proemio subjunximus, id quod, diximus, confirmat: ait enim:

Mercurium generosa novum te protulit Ancon
Kyriace in terris &c.

Et Henricus Stella Genuensis Kyriacum Italiae decus, & ab Ancona prolatum cecinit in illis versibus, qui pag. XV. Itin. leguntur

Italiam decorat, quem Dorica protulit Ancon,
Kyriacus:

Quid quod & Leonardus Arretinus in Epistola ad Kyriacum, quam Lib. IX. Edit. nostrae num. V. Tom. II. inseruimus, & heic pag. X. edita est, Anconitanam urbem Kyriaci patriam nominat? Ego tamen, dum tu peregrinando aliena conquiris, ipse manendo domi tua, ideſt patriae tuae monumenta tibi invisa, incognitaque perspexi. *Sed Burmanni errorem refellat ipsemet Kyriacus, qui in hoc opusculo Anconam patriam suam nulla usus circuitione adpellat.*

Nam

Num pag. IX. Quum de Ancona civitate patria nostra mentionem in secundo praecipuam habuisset. *Et rursus pag. XXXVIII.* Exinde vero concedens Anconitanam civitatem tuam, nostram & dulcem patriam revisi &c. *Sed de hoc hactenus. Pauca sunt ad Kyriacum pectantia, quae in synchronis, aliisque auctoribus nobis occurrant, ideoque multa, quae ad natalem eius diem, vitae modum, ac studia adtinent, caliginosa nocte premit oblivio. Ex nobili tamen genere fuisse tum tradidit pag. 7. Julianus Saracenus, tum innuere videtur ipsemet pag. XXVII. Itinerarii, ubi scribit se nepotem fuisse Kyriaci Sylvatici, qui egregius olim familiaris fuerat Caroli III. e. Dyrrachio Neapolitani Regis, eaque de causa a Joanna Regina eius filia perbenigne fuisse susceptum. Quum Cardinalis Gabriel Condulmerius postea Eugenius IV. pro Martino V. Pontifice Anconitanam civitatem Legatus administraret, & portum illius civitatis a fluctibus labefactatum, & jam vetustate conlabentem instauraret, Quaesto-*

ris munus a Kyriaco gestum est, ut ex pag. XXXVIII. didicimus, quumque idem Condulmerius jam tum Eugenius IV. Sedem Apostolicam Pontifex impleret, Kyriacum elegit, quem ad Sigismundum Caesarem sui gratia mitteret. Confer pag. XXI., ubi haec exponuntur. Sexviratus quoque munere in patria functum fuisse constat ex ipsius Epistola ad Franciscum Scalamontium, quam an. 1437. XV. Kal. Octobres scriptam ad calcem edidimus. Quo vero praeceptore usus sit, incompertum est. Suspicari fortasse quis possit, adhaesisse Guarino Veronensi: nam pag. XI. Guarinum suum *appellat;* & ipse noster Guarinus Veronensis. *At sine magistro in graecis, latinisque litteris semet imbuisse, ac nullo duce in iis profecisse discitur ex elegiaco carmine, quod ad eumdem Kyriacum scripsit Carolus Arretinus. Id adservatur in Bibl. Mediceo-Laurentiana Cod. membr. Plut. XXXIV. num. LIII. & ex eo MS. nunc primum erutum ad finem bujus proemii rejecimus. Ibi legitur vers. IX. seq.*

Ignorant docti causas, quaeruntque
frequenter,

Un-

Unde tibi eloquium, copia tanta tibi est?
Nec certe immerito, cum nil didicisse Magistro
Dicas, & ferulae subripuisse manum &c.

Eam vero graecae linguae cognitionem adsecutus est, ut graece epigrammata dictaret, quod paulo supra innuit ipsemet Arretinus his verbis:

Eloquio grajo dictas epigrammata saepe,
Saepe etiam nostro carmina multa facis.

Specimen Italicae poeseos a Kyriaco compositae mihi suppeditat Codex chartaceus Bibliothecae Medicea-Laurentianae Plut. 41. n. 34., ubi delitescit: Sonetto di Ciriaco d' Ancona in laude di Firenze. *Incipit autem:*

Febo nel suo lion lucente, et caldo
Cristallo, & alabastro trasparente,
Oriental zaffiro, & perla candente
Rubin, topazio, & diamante saldo.
Fin oro intorno, & lucido smeraldo
Ebeno, & ebor fin terso; e lucente

Ostro, o qual alma nel Ciel più
splendente
Stella si vede mai per occhio baldo.
Forman d'un popol florente, e sereno
Che surge in Arno del sen tosco ovile,
Salda colonna, spada, sesta, e freno.
Qual poema latin, qual greco stile,
Canterà mai del suo valor appieno
Sel gioco, el nostro honor sarebbe
exile?

Inter Kyriaci inscriptiones, quas auspice Cardinali Francisco Barberino seniore edidit Carolus Moronus pag. 34. carmen Italicum eiusdem Kyriaci reperitur, quod effudit, quum Mysithrae, seu Spartae ruinas procul attonitus adspexisset.

Alma Città Laconica Spartana,
Gloria de Grecia, già del mondo
exemplo,
D'arme, e di castità gimnasio, e
templo,
E d'ogni altra virtù specchio, e
fontana.
Se politia, costumi, e legge humana
Con l'altre tuoi moral virtù con-
templo,

Poi

Poi te rimiro in Eurotia, extemplo
Exclamo al cuor dell' alma tua
Diana ec.

Quamobrem eximiam hujus viri eruditionem celebrarunt homines ejusdem saeculi literarum gloria praestantes, quibuscum ipse arcto amicitiae vinculo conjunctus erat, Leonardus scilicet Datus, Carolus Arretinus, Joannes Aurispa, Marrasius Siculus, Antonius Panormita, Leonardus Arretinus, Nicolaus Niccolus, Poggius Bracciolinus, Guarinus Veronensis, Cintius Apostolicus Secretarius, Flavius Blondus, Franciscus Scalamontius, Kosmas Mediceus, Laurus Quirinus, Henricus Stelleus, aliique, qui in Kyriaco exornando, ejusque in Remp. Litterariam merita extollendo maxima laudum praeconia congessere, quorum nonnulla in hoc opusculo producta sunt. Omnium vero familiarissime usus est Francisco Philelpho, cujus septem Epistolae ad hunc Scriptorem humanitatis, atque existimationis plenae leguntur in Veneta editione litterarum ejusdem an. 1496., nem-

pe Lib. I. Epistola. XII. & XVIII. Lib. IV. Epist. IV. IX. XVII. Lib. V. Epistola L., & Lib. VI. Epistola XL. Leonardum etiam Arretinum inter Kyriaci cultores extitisse ostendunt ipsius Leonardi ad hunc duae epistolae, videlicet Lib. VI. Epist. IX., & Lib. IX. Epist. V., quas nuperae ejusdem Leonardi epistolarum editioni inseruimus. Ultima quoque Kyriaci laus non fuit Principibus viris placuisse, quorum benevolentiam, ac favorem virtute sua sibi pepererat. Nam & Caesarea Sigismundi Imperatoris gratia se decoratum fuisse narrat, & Joannae II Neapolitanae Reginae, Pandulphi, & Karoli Malatestarum, Francisci Gonzagae, Nicolai, Leonelli, Meliaducis, Borsiique Estensium, ac Francisci Foscari Venetiarum Ducis in se humanitatem commemorat, ut omittam Sigismundum Pandulphi filium Malatestam Ariminensium Principem, Galeatium, ejusque uxorem Baptistam Pisauriensium Dominos; Guidonem Antonium Montisferetri Comitem, atque Philippum insignem il-

lum Mediolanensium Ducem, qui Kyriaci curam haud spernandam duxisse legitur p. XXII. huius Itinerarii. Sed Candidus Decembrius Viglevanensis, qui ejusdem Philippi vitam litteris tradidit, Kyriacum nostrum multum vaniloquentiae habuisse jactat, & quum praeclara ad eiusdem Principis laudem se scripturum polliceretur, a sapientissimo illo Duce res suas sibi habere jussum, Regiaque expulsum fuisse. Decembrii verba haec sunt Cap. LXIII. Tom. XX. Script. Italic.

Fuit ad eum Franciscus Barbula poeta graeculus, multaque pollicitus se scripturum ad laudes ejus, ac historiam rerum ab eo gestarum relaturum cum nihil perfecisset, sive vanitate ejus territus, sive diffidentia suarum rerum haud multi fecit, contempsitque viaticum petentem, quem salario annuisset. Pari modo Chiriacum Anconitanum multo plura pollicentem respuit, & Regia interdixit &c. *quae quidem verba tribuenda potius putem insanae maledicendi libidini, qua abripiebatur Decembrius*

brius qui in aliena laude deterenda totus fuit. Quo vero anno diem suum obierit Kyriacus incertum est, nec monumenta illius aetatis quidquam nos edocent. Flavius Blondus in Italia Inlustrata verba faciens de Anconitana civitate, virosque illustres, qui eamdem exornarunt, enumerans Kyriacum Anconitanum paulo ante, quam ex illo opere manum tolleret, decessisse indicat. Blondi verba sunt haec in Piceno. Habetque nunc (*Ancona*) Franciscum Scalamontem, & Nicolaum Jureconsultos bonarum litterarum studiis ornatos, quum nuper amiserit *Kyriacum*, qui monumenta investigando vetustissima, mortuos, ut dicebat, vivorum memoriae restituebat. *Haec Blondus. Exeunte anno* 1448. *adhuc superfuisse cognoscimus ex epistola Francisci Philelphi Lib. VI. Epist. XXXXIX. quae ad Kyriacum Anconitanum scripta est* ex Mediolano XI. Kal. Decembres 1448, *in eaque de quibusdam epigrammatibus sibi donatis eidem Kyriaco gratias habet. Multa scripsit Kyria-*

cus

ςus, quae adhuc in Bibl. MSS. delitescunt. Nam praeter epistolas, quarum nonnullas partim editas, partim ineditas huic Itinerario adjecimus, adservatur in Cod. Chart. Bibl. Riccardianae in 4. N. III. Cod. XXIX. Kyriaci Anconitani opus de septem mundi spectaculis: de Familiis nobilibus Romanorum, & de Gregorio Theologo ad Fredericum Contarenum. *In codice pariter chartaceo ejusdem Bibliothecae O. III. Cod. XIIII. in fol. exstat*: Canzone morale mandata al Principe di Salerno, che fu a tempo di Papa Martino V. & *in MS. chart. Bibl. Mediceo-Laurentianae Plut. 41. Cod. XXXIV. reperitur*: Sonetto di Ciriaco d' Ancona in laude di Firenze, *de quo supra diximus. Aliud Kyriaci opus nobis indicat Bernardus Montfauconius vir Cl., qui T. I. Bibl. MSS. pag. 512. tradit delitescere in Ambrosiana Mediolanensi*: Kyriaci Anconitani Epistolas, & de Pontiani Tarraconensium Regis navali conflictu. *Carmen de amicitia quod ipse italico sermone composuit, & in Florentina*

scae-

caena XI. Kal. Novembris habuit, memoratur pag. 14. huius Itinerarii, ubi additur latino commentario a Lauro Quirino explicatum fuisse. Vitas Imperatorum a Julio Caesare usque ad Barbarossam Italice scriptas recenset Vossius Lib. 3. de Hist. Lat. Cap. X., earumque meminit Fabricius Lib. 3. Bibl. med. & Inf. Lat. pag. 1261., additque idem Vossius promissas a Kyriaco fuisse Philosophorum, poetarum, atque etiam illustrium mulierum vitas, quas utrum ediderit haud scimus. Sed omnem paene aetatem suam in peragrando terrarum Orbe contrivit, ex cujus itineribus duo scripta profecta sunt, Itinerarium *scilicet,* & Commentaria, *quae intermortuum, ac prope sepultum in vetera monumenta studium prima omnium excitarunt. Nunc de utroque pauca animadvertamus.*

Itinerarii a Kyriaco compositi jamdiu meminerat Torellus Sarayna Veronensis Lib. 2. de *Origine, & amplitudine civitatis Veronae. Nam pag. XIII. Edit. Veronensis an. 1540. haec habet:* De Amphitheatro etiam legitur in quibusdam

dam chronicis, Amphitheatrum, quam arenam vulgo appellant, anno XLII Imperii Augusti exstructum fuisse, & Cyriacus Anconitanus in quodam Itinerario sic scriptum reliquit: Et denique Veronam feracissimam, & antiquam civitatem venit, ubi non exigua veterum monumenta comperit, praesertim Labyrinthum, quod arena nunc dicitur, & habetur quod constructum fuerit anno Imperii Octaviani trigesimo nono ante natalem Christi diem tertio, cujus pars exterior terraemotibus corruit, & nunc conspicitur locus rotundus Arenae per totum magnis saxis undique constructus, & ut ita dicam persilatus, quum intus cubalis, vel antris multiformiter redimitus sit &c. *Saraynae adjungendus est Justus Lipsius, qui Cap. IX. de Amphitheatro locum ex Itinerario a Torello prolatum usurpat*: Et de specubus quidem, *inquit*, sive cryptis valde sententiam meam juvat Cyriacus Anconitanus, qui majorum aevo Itinerarium scripsit, in quo de

Am-

Amphitheatro Veronensi sic tradit: Et nunc conspicitur locus rotundus Arenae per totum magnis saxis undique constructus, & ut ita dicam persilatus, cum intus cubatis, & antris multiformiter redimitus sit. *Lipsio proximus fuit Julius Caesar Bulengerus, qui Librum de Venatione Circi, & Amphitheatri edidit, in cujus Cap. XVII. de cryptis, & caveis Amphitheatri tractans addit:* Cyriacus Anconitanus in Itinerario cubata, & antra *appellat*. Et nunc, inquit, conspicitur locus rotundus &c. *ea scilicet producit, quae a Sarayna, & Lipsio prolata jam fuerant, quaeque tamquam ex chronico incerti auctoris produxerat Panvinius Lib. III. Antiq. Veronensium Cap. V. At si consulas hoc Itinerarium a me nunc publici juris factum invenies profecto pag.* 28., *ubi de Verona agitur*, Arenarum Augusta ex L. Vitruvio nobilissimo Architecto. *Ea tamen, quae ex Kyriaci Itinerario a doctissimis illis triumviris proferuntur, heic nuspiam comparent. Georgius quoque*

que Fabricius Chemnicensis in sua Roma, ad Volfgangum Werterum Kyriaci Itinerarium se legisse innuit Cap. XII. ubi quum probare vellet theatra etiam ex solido marmore structa fuisse, ait pag. 113. Quale fuit Capuanum, cujus ruinas mirati sumus, item Veronense, de quo Torellus Sarayna, item Atheniense, quod inspexit Ciriacus Anconitanus &c. *Et rursus Cap. XX. pag.* 179. Testatur Ciriacus Anconitanus, cujus scriptas quasdam chartas evolvimus, se Patris in Achaja ad aedem S. Andreae antrum subterraneum ex integro, solidoque lapide vidisse miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodque sub una testudine ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus singulis binae, aut ternae urnae funerales fuerint locatae. *Haec Fabricius. Sed tam theatrum, Atheniense, quam antrum subterraneum frustra quaesiveris in hoc Itinerario, quod nunc primum in lucem profero. Quamobrem dicendum est hæc omnia non*

ex

ex Itinerario Kyriaci sumpta fuisse, sed ex antiquarum rerum Commentariis ab eodem compositis, de quibus paulò infra dicemus. Eo, quo suspicati fuimus, modo rem se habere didicimus ex specimine eorumdem Commentariorum, quae sub titulo Inscriptionum Cyriaci Anconitani *edidit Carolus Moronus ex Bibl. Cardinalis Francisci Barberini senioris. Nam pag. VI., ubi agitur de monumentis Patrensibus apud Peloponnesum, eadem habentur his verbis:* Ad aedem Andreae Apostoli SS. nomine Demetrii vidimus mirabile antrum sub humo, quod vetustissimum fuerat, ingens, & mira architectorum ope monumentum ex integro consculpto lapide. Descendes in eum per XVI. gradus sub cava testudine habens ad tetragonos parietes XIIII. fenestras. Quaelibet continet binas, ternasve, aut quaternas funerales cineribus urnas. Id enim mirabile opus, & incredibile videtur. Nam testudo ipsa omnibus cum quatuor parietibus suis, gradusque, & pavimentum omnia ex

uni-

unico durissimo saxo fabrefactoris arte conspicua conspectantur &c. *Inter illos, qui hujus opusculi meminere, recensendi etiam sunt Josias Simlerus pag.* 180. *Epitomes Bibl. Gesnerianae, Petrus Burmannus pag. II. praef. in Gruterum, Jo: Albertus Fabricius Lib. III. Bibl. Med., & Inf. Lat., & Hieronymus Contador de Argote in Prologomenis ad Memorias Ecclesiasticas Archiepiscopatus Bracaraugustani, ubi T. I. p.* 40. *seq. multa, eaque praeclara de Kyriaco animadvertit. His accedat vir Cl. Scipio Maffeius Marchio, qui licet in opere de Amphitheatris edito Veronae an.* 1728. *pag.* 147. *dubitaverit, an unquam ὁδοιπορικὸν a Kyriaco elucubratum fuerit, tamen in editione Romana an.* 1730., *in qua idem opus Veronae Inlust. adjectum fuit, aliter sensit, & pag.* 82. *Kyriaci opus in MSS. Bibliothecarum forulis delitescere fassus est. Sed omnium optime de Rep. litteraria meritus est Eminentissimus Quirinus, qui non solum Part.* 2. *Diatribae Prael. Cap. IV. §. XI. hujus opusculi meminit, sed etiam*

spe-

specimen produxit, quo Lauri Quirini existimationem a malevolorum hominum maledictis tutaretur. Animadvertit enim inter alia Laurum Quirinum commendari etiam a Cyriaco Anconitano in Diario MS., ubi haec verba leguntur. Quin & hac utique in urbe novissime quidem novimus Laurum insurgere Quirinum Venetum Patritium, certe nobilem, & latine, graeceque perdoctum, qui cum nuperrime eo in carmine, quod in Florentina scaena XI. Kal. Novembres de praeclarissima rerum amicitia materno quidem eloquio brevissimum habuimus, commentarium latine, ornateque scripsisset, me quoque prima in parte antiquarum rerum curiosissimum repertorem vocitare maluerat &c. *Haec ille: quae conferenda sunt cum pag.* 13. *hujus nostrae editionis, ubi illud honorificentissimum de Lauro Quirino testimonium reperire est. Codex vero chartaceus in fol., qui exstat inter cimelia V. Cl. Filippi Stosch, hoc opusculum adservat: ex eoque exscriptum, nonnullisque mendis, quibus, iisque plu-*

plurimis obsitum erat, emaculatum typis excudendum tradidi. Hic MS. ab auctore coaevo exaratus fuit; nonnullasque ob tachigraphi negligentiam lacunas habet, quas implere, conjecturisque nostris infercire nefas duximus. Nos enim Davi sumus, nec in hoc Oedipi esse voluimus. Ludovicus Antonius Muratorius vir saeculorum omnium memoria dignissimus Tom. I. Inscr., quas nuper edidit, arbitratus est hoc Itinerarium an. 1436. *elucubratum fuisse. Scribit enim de Kyriaco:* Is ineunte saeculo Christi quintodecimo, & subsequentibus annis varia suscepit itinera in Dalmatiam, Graeciam, finitimasque regiones, quo nondum Turcica rabies penetrarat, atque inde in Italiam asportavit festivam ejusmodi mercium congeriem, quam praesertim dicatam voluit Eugenio IV. Pontifici Maximo, si bene memini, anno aerae vulgaris 1436. *Nullus dubito, quin per illam, ut ajunt, dedicationem ad Eugenium IV. intelligat vir doctissimus hanc epistolam itinerariam eidem Pontifici scriptam. Sed*

hanc post annum 1436. *elucubratam fuisse deprehenditur ex nonnullis ejusdem epistolae locis, quae aliis gravioribus studiis distentus animadvertere non potuit. Inter alia, quae praetermitto, pag.* 31. *seq. innuitur Gerardum Landrianum Episcopum Comensem ad Cardinalatus apicem jam evectum fuisse. Comensem vero Episcopum creatum fuisse Cardinalem ab Eugenio IV. in Concilio Florentino an.* 1439. *die XVIII. Decembris testatur Scriptor anonymus, idemque synchronus in vita ejusdem Pontificis, quae a Baluzio Tom. VII. Miscell. edita a Muratorio V. Cl. Tom. III. Rer. Ital. Part. II. recusa fuit. Ejus verba sunt:* Praeterea idem Dominus Eugenius Papa pronuntiavit, fecit, & creavit in Florentia die XVIII. mensis Decembris anno Domini 1439. Pontificatus sui anno IX. in Consistorio publico XVII. Cardinales, videlicet Archiepiscopum Remensem, Archiepiscopum Rothomagensem Episcopum Tarentinum, Archiepiscopum Capuanum, Archiepiscopum Ebora-

cen-

censem, Archiepiscopum Nicaenum Graecum, Episcopos Morinensem, Cumanum &c. *idest Gerardum Landrianum Episcopum, ut diximus, Comensem. Imo post annum quoque* 1440. *scriptum hoc Itinerarium a Kyriaco fuisse facilè colligitur ex pag.* 5., *ubi Cardinalis Eugenii Quarti nepos; idest Franciscus Condulmerius Vicecancellarii titulo nuncupatur. Hoc enim munus demandatum est ab eodem Pontifice nepoti suo anno* 1440., *ut idem Anonymus scriptor memoriae prodidit:* Item eodem tempore anno domini 1440. dominus Eugenius transtulit Nepotem suum Cardinalem de Camerariatu ad Vicecancellariatum Romanae Curiae. *Quid si anno* 1441. *elucubratum fuisse ostendero? Nam pag.* 5. *mentio fit Leonardi Dati Florentini, illius videlicet, de quo praeclara scripsit Gaspar Veronensis Lib.* 2. *de gestis tempore Pontificis Maximi Pauli Secundi. Hic igitur Leonardus Datus nominatur a Kyriaco pag.* 5. *seq.* Reverendissimi Cardinalis, & excolendissimi Nepotis, *idest Fran-*

cisci Condulmerii Secretarius. *Dathi epistolae adhuc ineditae adservantur in Bibl. Mediceo-Laurentiana. Plut. LIII. Cod. Chart. Num. 1., atque in eodem inter alias literas legitur epistola ad* Bernaboem de Ursinis Archiepiscopum Salernitanum, *in qua scribit Dathus se Cardinali Vicecancellario valedixisse.* Ego, *inquit*, langueo. Nam sextus hic mensis est, ex quo Vicecancellarium seposui, quum praesertim nihil ab eo sperandi argumentum norim &c. *Ea vero scripta est* ex Florentia Kalendis Majis 1442., *ex quibus constat Leonardum Dathum exeunte anno 1441. se a Secretarii, ut ajunt, munere abdicasse. Hinc necesse est, ut eodem an. 1441. Kyriacus Anconitanus hoc opusculum scripserit, quum hoc ipso anno Leonardus Dathus ab epistolis fuerit Cardinali Condulmerio Vicecancellarii munere insignito.*

Multum vero utilitatis ex hoc opusculo percipi potest tum propter praestantissimos illius aetatis viros, qui in hoc Itinerario memorantur, tum propter prima il-

illorum studiorum rudimenta, quae nunc ad tantam amplitudinem evecta conspicimus... Barbariem tamen, quam pleraque ejusdem saeculi scripta praeseferunt, effugere non potuit Kyriacus, quumque in pervestigandis vetustis monumentis totus fuerit, idcirco inculto, atque horrido dicendi genere utitur in hoc Poggio, Leonardo Arretino, Francisco Barbaro, ac Philelpho inferior, qui totam aetatem suam in effingendo M. Tullio contriverunt. Graeca quandoque verba intermiscet, & poetarum flosculis plus nimio indulget; ita ut cum pag. 62. vini scypho donatos juvenes dicere vellet, Purpurei Dei laetitiae spumante patera *donatos dixit. Vestigium vero illius ακρισιας, quae homini insedit, exstat Pag. 31., ubi* Cumanum Pontificem *dicit, cum* Comensem *dicere debuisset. Quid est enim commune Como cum Cumis? Sed hoc condonandum barbaro saeculo, quod Cumas, & Comum promiscue usurpabat. Ita Tobias Burgus de Francisco Barbaro loquens* Cumanam Praeturam

ram *nominat*, *quum* Comenſem *dicere debuiſſet*. *Sic* Epiſcopum Cumanum *pro* Comenſem *ſcripſit auctor Anonymus vitae Eugenii IV.*, *cujus locum ſupra adtulimus*. *Imo ipſemet Gerardus Landrianus vir ea aetate doctiſſimus* Cardinalem Cumanum *ſe nuncupabat pro* Comenſem, *ideoque reprehenditur a Leonardo Arretino Tom.* 2. *Epiſt. Lib. VIII. Epiſt. VII. pag.* 22. *ſeq.* Neque enim, *inquit*, Cumanus dicendum eſt, ut michi quidem videtur, ſed Comenſis. *Id autem erratum ex eruditulis potius, quam ex vulgo derivavit. Vulgus enim* Comum *dicebat teſte eodem Arretino*. Vulgo etiam loquentes Comum appellant eam urbem &c. *Erudituli vero quum legerent in mſſ.* Cumum, *atque mutuam literae U, & O permutationem in Codd. paſſim adhibitam ignorarent, ex eo* Cumanus *fecere, cum ſaltem* Cumenſes *dicere deberent. Vide aliam Epiſt. Leonardi Arretini Lib. VIII. num. VIII. Alterum ακριϐείας exemplum ſe ſic offert pag.* 36., *ubi Kyriacus colligit ex vete-*

te-

teri monumento, Fani Fortunae moenia ab Augusto Caesare condita fuisse L. Turcio Flaminiae, & Piceni Provinciae Correctore curante. *Inscriptionem habet Gruterus pag.* 165. *num.* 2., *& antea adtulerat Panvinius Lib. III. Fast.*, *atque ita se habet*: Curante L. Turcio Secundo Aproniani Praef. Urb. Fil. Asterio Corr. Flam., & Piceni. *Sed quomodo L. Turcius Secundus Apronianus Asterius Augustea aetate vivere potuit, quum efloruerit an.* 363., *quo tempore a Juliano Praefectus Urbi impositus fuit, ut ex Ammiano Marcellino nos edocuit Eminentissimus Norisius? Videnda ejusdem Cenotaphia Pisana Dissert. IV. Cap. II. §. I. Ridiculum vero est id, quod narrat pag.* 44. *se scilicet percepisse, Q. Curtium de Ancone haec in Trajanum Caesarem scripsisse*. Trajanus igitur Imperator per aequoris vada venit in civitatem, & in ripam cephalinam Thetidis curvae; ubi de se memoriam fecit spectaculum grande. Postea vero per collisep- tum Picenum, & Alpibus Umbriam

clausam in Urbem profectus est. *Dubitandi locus non est, quin noster Anconitanus haec acceperit ab aliquo sycophanta, qui ejus credulitate delectabatur. Nam nec quidquam simile a Curtio scriptum reperimus, nec illa verba Curtium auctorem sapiunt, sed potius impostorem nescio quem, unum nempe ex his, qui saeculo decimoquinto haec in nepotum perniciem procudere non erubuerunt. Idem dicendum de duobus illis versiculis pag. 43. memoratis, videlicet:*

Fides fixa tuo sancto de nomine dixti,
Quae tumidos illyris fluctus depelleret Ancon.

Qui etsi ex erroribus, ac fabellis conflati sint, noster tamen Kyriacus Tibulli esse putat, cum Maximiano bardaro, ac lutulento poeta digni sint. Quae vero pag. 43. de Anconae origine disserit, ad aniles fabellas amandentur. Eadem quoque retulerat Kyriacus in Libello de antiquitatibus, ut nos edocet Julianus Saracenus pag. VII. Not. Anconit., nempe in antiquarum re-

rum

rum Commentariis, ut ego arbitror, eademque ex Kyriaco produxerat Landus Ferrettus in Hist. Anconitana MSS., quae adservabatur in Bibl. Eminentissimi Cardinalis Flavii Chisii Cod. 1130. Ex hac paucis fabellam accipe. Scripsit in Libro de Antiquitatibus Kyriacus Saccoso Persarum Rege ab Hercule devicto Fidem Reginam, ejusdemque Saccosi uxorem magna opum vi ex Persarum Regno decessisse, quumque ad Adriacum pervenisset e navi egressam Cumericum promontorium ascendisse, ac situs opportunitate captam urbi locum optasse. Primum itaque palatii fundamenta jecit, arcemque construxit, templumque Glauco Portumno condidit. Mortua vero Fide, heredes delubrum Reginae posuere, ibique sepultam sub Deae Fidei nomine coluerunt. Sed hoc commentum manifestam imposturam praesefert, quum & mythologiae, & chronologiae, atque scriptorum luculentissimorum auctoritati adversetur, idemque tamquam fabulosum, ac nugarum plenum rejecit Saracenus.

Cli-

Clitomachi tamen auctoritati innititur Kyriacus, eique Linum adjungit auctorem, *ut ipse eum nuncupat*, praeclarum, *cujus verba subjungit lutulenta, ac plane stercorea. Sed valeat cum suo auctore praeclaro* Kyriacus; *ac tam Clitomacho, quam Lino solus sine rivali utatur. Haec enim aut ipsemet confinxit, aut conficta sibi obtrudi passus est ab aliquo nebulone, cui hominis credulitatem inludere volupe fuit. De Itinerario hactenus. Nunc ad* Commentaria rerum antiquarum *descendamus*.

Kyriacum multas Europae, Asiaeque partes peragrasse, & vetustos lapides exscripsisse indicat Ambrosius Camaldulensis, qui in Hodoeporico: Adiit, *inquit*, nos inter ceteros, & Kyriacus Anconitanus, multaque nobis ostendit antiquitatis, cujus studiosissimus indagator erat, monumenta, tum epigrammata vetusta, tum signatos nummos argenteos, & aureos, tum signa. *Acarnaniam totam cum Aetolia, & Boeotia lustravisse*,

Pelo-

Pelopennesum, Spartamque, & Argos inspexisse, & quicquid antiquitatis est in illis eruisse, & Athenarum propylaea descripsisse scribit Leonardus Aretinus Lib. IX. Epist. V. ad eumdem Kyriacum, quam etiam protulit Tom. VI. Miscell. pag. 538. vir Cl. Stephanus Baluzius. Hanc Kyriaci industriam in exquirendis antiquis lapidibus, aliisque eruditae vetustatis monumentis extollit, ac praedicat Franciscus Philelphus, qui in Epistola XII. Lib. 1. ad eumdem Kyriacum Venetiis XII. Kal. Januar. exarata: Amo te, *inquit*, mi Kyriace cum ob tuam in me benivolentiam, tum ob eam inquisitionem, atque diligentiam, qua uteris maxima in earum rerum inventione, quae vel nimia vetustate, vel patrum nostrorum negligentia apud nos perierant &c. *hortaturque hominem, ut incumbat in tam liberale, tamque laudabile munus renovandae vetustatis, vel potius ab interitu vindicandae.* Nam non parum, *addit Philelphus*, & voluptatis, & commodi prae se

fe-

ferunt istiusmodi eulogia, atque epigrammata, quae tanto cum studio, & labore undique ex universo prope orbe in Italiam advehis. Et horum quidem gratia non solum vivos tibi concilias, sed mortuos quoque reddis obstrictos beneficio sempiterno. *Kyriaci quoque industriam celebrat Angelus Decembrius de Politia Litteraria Part. LIV.* Cujus quidem rei maxime studiosum ferunt quemdam aetate nostra celebrem virum Cyriacum Anconitanum graecarum rerum studiosissimum ob id cupide etiam graecorum antiquas, longinquasque nationes adeuntem &c. *Et Leander Alberti in Descrip. Italiae pag.* 280. Trascorse quasi per tutta Europa con parte dell' Asia, e dell' Affrica per vedere l' antichità, e degne opere, che aveva ritrovato scritto ec. *Antiquorum vero lapidum, ac monumentorum syllogen congessit Kyriacus post annum* 1447., *si Amantio, Apiano, & doctissimo P. Burmanno credamus, qui ad novam Gruteriani Corporis recensionem haec ani-*

animadvertit. Praeerat quoque circa eadem tempora Romanae Ecclesiae Nicolaus Quintus vir & ipse eruditus, & summus eruditorum fautor, cujus studio erga litteras plurimum posteriora saecula debent. Is inter alia praeclara promovendae rei litterariae officia Kyriacum Anconitanum graecum uberrimo viatico instructum per varias orbis partes misit, ut lapides veteres conquireret, ut docent Amantius, & Apianus in principio inscriptionum suarum pagin. prima. Qui egregie administrata hac sibi mandata provincia lapidum titulos plurimos in unum volumen conjecit, & ob industriam hanc antiquarii nomen retulit. *Haec Burmannus, qui duplici vice peccat. Primum tradit vetera illa monumenta in unum volumen conjecta fuisse, quum in tria volumina digessisset Kyriacus, ut paulo infra demonstrabimus. Praeterea a veritate abhorret, quod adjungit Burmannus, Nicolao scilicet Quinto Pontifice haec a Kyriaco fuisse congesta.*

sta. Et sane Petrus Apianus Leysnicensis publicus in Ingolstadiensi Academia mathematum Professor, ac Bartholomaeus Amantius Poeta Caesareus hoc tradiderant in Inscriptionibus Sacrosanctae vetustatis, *quae Ingolstadii ann.* 1531. *prodiere. Nam in epistola ad Raymundum Fuggerum Caroli V. Imperatoris Consiliarium haec habent.* Idem & gloriae consecutus est Kyriacus Anconitanus, qui & ob diligentem inquirendarum vetustatum curam antiquarii cognomen merito habere coepit. Nec minor laus extitit Nicolai Quinti Pontificis maximi, qui miro quodam studio Antiquitatum flagrans immensissimam pecuniam pro iis sedulo undique conquirendis elargitus est &c. *Et paulo infra ante monumentum Gaditanum haec animadvertuntur.* Occurit nobis commodum monumentum Gaditanum, quod eximius vir Kyriacus Anconitanus repperit, qui non absque magnis molestiis longissimorum itinerum faciendorum quascumque inscriptiones vetustas, quoad li-

licuit, descripsit. Neque tamen suis impensis hoc peregit, sed Nicolaus Quintus Pontifex Maximus cum incredibili antiquitatis explorandae ardore flagrans, tum & bonorum librorum comparandorum desiderio sumptus ad hunc laborem conficiendum quam magnificentissime suppeditavit. *At quis non sentiat hoc esse commentum Apiani, & Amantii cerebro dignissimum? Jannotius Manettus, qui ab eodem Nicolao Quinto Apostolicis litteris Romam ex hac urbe evocatus fuit, quique ejusdem Pontificis vitam scripsit, multos quidem praeclaros homines a Nicolao per universum terrarum orbem missos fuisse tradit, eo tamen consilio, ut MSS. Codices perquirerent, non veteres lapides investigarent, eorumque ope supra quinque millia codicum volumina congessit.* Quot enim, *Jannotii verba sunt*, librarios cum graecos, tum latinos ad transcribendum & intra, & extra Urbem mercedibus conduxerat? Quot exploratores doctos homines non per universam Italiam solum, sed usque

que ad extremos etiam Germaniae, ac Britanniae angulos ad investigandum, indagandumque transmiserat? Quot insuper in Graeciam ipsam & ante, & post deplorandam Constantinopolis captivitatem eruditos viros magnis cum salariis, ingentibusque emendorum, & perferendorum carorum codicum commissionibus destinaverat?. *Haec Manettus, qui nullam antiquorum lapidum mentionem facit: Et quidem multo ante Nicolai V Pontificatum inscriptiones a Kyriaco tum in Graecia, tum in Italia fuisse collectas deprehenditur non solum ex litteris Francisci Philephi, verum etiam ipsiusmet Kyriaci, quas Itinerario adjunximus. In Epistola Francisci Philelphi, quae exstat Lib. I. num. XII. laudatur Kyriacus ob diligentiam, qua in veterum monumentorum pervestigatione utebar. Ea porro scripta est* ex Venetiis XII. Kal. Januarias 1437., *ita ut exeunte anno* 1437. *idest decem circiter annos ante Pontificem Nicolaum inscriptiones colligeret Kyriacus. In altera*

tera ad eumdem Kyriacum Lib. IV. pag. 27. memorantur epigrammata nescio quae a Kyriaco inventa, ac litteris atticis scripta. Haec missa est ex Mediolano V. idus Quintiles 1440., *ita ut septem circiter annos ante Nicolaum V. Graeciam peragraverit Anconitanus. Duae ejusdem Philelphi epistolae pro Kyriaco Venetias petente leguntur. Ambae exstant Lib. V. n. 22. 23., ac prima inscribitur Francisco Barbaro, ubi dicitur* Kyriacum *ad Barbarum ferre nonnulla pulcherrima epigrammata, quae apud barbaros Asiae populos repererat. Altera mittitur ad Leonardum Justinianum, ibique scriptum reperimus Kyriacum ei* fore non injucundum praesertim quod ferat secum nonnulla priscae vetustatis monumenta, & eulogia, & epigrammata, & alia pleraque scripta, quae ex lapidibus vetustissimis in Asia, Graeciaque collegerat. *Utraque scripta est* ex Mediolano III. Kal. Januarias 1443., *ex quibus verbis colligitur exeunte an.* 1443. *Graeciam, Asiamque jam fuisse a Kyriaco*

 pera-

peragratam. Consule octo Kyriaci litteras, quae Itinerarium excipiunt, & Burmannianum errorem deprehendes. In Epistola secunda pag. 56. seq. scripta Kal. Decembris 1435. *ait Kyriacus se ex Corcyra in conspectu insulae Promontorium Dalmatiae praetervectum fuisse, melioremque scopulum adiisse, ibique in angulo claustri, quod ad Seraphicum Ordinem pertinebat, epigramma optimis insculptum litteris invenisse. Sic epistola tertia scripta est* ex Acarnania urbe IV. Kal. Januarii 1435., *quarta Astacore III.* Idus Januarii 1436., *quinta* ex Orionatio Dodonaeo XIII. Kal. Juniarum die 1436., *sexta* ad XV. Kalendas Octobrias 1436., *ubi inter alia Alphaei gurgitis a se visi mentionem facit, scribitque se Lacedaemona esse profecturum &c. Itaque tam anno* 1435., *quam anno* 1436., *idest undecim circiter annis ante Nicolaum V. Graeciam circumibat noster Kyriacus; ac vetera monumenta colligebat. Sed quid verbis opus est? Epistolam hanc a nobis nunc primum publici juris factam, in qua Kyriacus itineris sui seriem Eugenio IV.* Pon-

Pontifici exponit, ab eo anno 1441. *elucubratam fuisse supra pag.* 36. *demonstravimus. Quamobrem necesse est, ut ante annum* 1441. *iter suum confecerit noster Anconitanus. Tantum abest, ut Nicolao V. auspice, idest post annum* 1447. *ad illud se adcinxerit, quod post Apianum, & Amantium comminiscitur P. Burmannus. Nos tamen non inficiamur insignem illam veterum monumentorum syllogem ante annum* 1441 *congestam etiam post illud tempus a Kyriaco augeri, locupletari, ac castigari potuisse. Imo hoc jamdiu praesensimus, ac nuper ex Philelphi epistolis didicimus. Hunc vero inscriptionum thesaurum* antiquarum rerum Commentaria *inscripsisse eruitur ex ipsius Kyriaci verbis, quae in hoc Itinerario leguntur. Nam pag.* 23. *postquam mentionem fecerat de marmoreo apud Neapolim Castoris, & Pollucis vetustissimo templo, graecoque epigrammate :* & alia, *inquit,* egregia vetustatis vidimus, nostris & adjecimus Commentariis &c. *Et rursus pag.* 36. *memoratis sex illis de mar-*

more basibus nobilium ex aere statuarum, quas olim spendidissimi Pisauriensium, Ariminensiumque Ordines silicum viarum Procuratoribus dederant: quarum, *ait*, epigrammata una cum Ambrosino illo suo Equite praeclaro lectitavimus, & nostris haud indigna mandavimus Commentariis. *Pag. vero* 37. *postquam vetera Urbini monumenta recensuerat, addit:* quae omnia tum sua pro dignitate, tum & Principum tantorum, & sacri ejusdem civitatis Pontificis Antonini Forojuliani memoriae nostris antiquarum rerum Commentariis duximus adnotanda. *In haec antiquarum rerum Commentaria, seu inscriptionum συναγωγην non solum vetustos lapides diligenter exscriptos intulit, sed etiam omnigena monumenta, theatra videlicet, amphitheatra, Circos, templa, statuas, sepulchra, obeliscos, Pyramides, arcus, aliaque id genus eruditae antiquitatis vestigia eleganti pictura reddidit, expressitque, quod praeter Vossium Lib. III de Hist. Latin. memoriae prodidit Leander*

der Alberti in Descript. Italiae, ubi pag. 280. *de Kyriaco verba faciens haec habet*: E quelle (*antichità*) ritrovate non solamente le scriveva, ma altresì co i veri, e certi liniamenti le fingeva, e disegnava, come Teatri, Amfiteatri, Circi, Tempi, Statue, avelli, obelisci, Piramidi, tavole con gli epitaffi, archi trionfali, e altre simili curiose cose. *Hinc Leonardus Arretinus in Epist. V. Lib. IX. ad hunc Anconitanum scripta testatur Athenarum Propylaea ab eo fuisse descripta*, & Athenarum Propylaea descripseris, *quod non tam de calamo, quam de pennicillo intelligendum est. Kyriaci quoque peritiam in pictura celebrat Carolus Arretinus in carmine, quod inscribitur*: Karoli Aretini ad Poggium V. Cl. de Mercurio sibi misso a Kyriaco Anconitano elegiacum carmen. *Id exstat in Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. XXXIV. Cod. membr. num. LIII., incipitque*:

*K*yriacus nobis misit modo munera Poggi,

Mercurium: propria pinxerat ille
manu.
Ut vidi obstupui, stupeoque, &
flectere nusquam
Ex illo possum lumina capta semel.

Et paulo post.

Vivit Atlantiades? an falsa decipit umbra?
An falsus ludit lumina nostra
color?
Jam nunc ingenio poteris superare Timantem
Kyriace, & quicquid finxerit
arte manus.
Parrasium tabulis vinces, vincesque
cavandis
Pyrgotelem gemmis, Mentoraque in pateris.
Quin etiam sollers tecum si certet
Apelles,
Cedet Mercurio victa colore Venus &c.

Haec autem Commentaria non tam vetustis lapidibus, quam iconibus spectanda in unum volumen conjecta fuisse per-

perperam tradidit Petrus Burmannus, ut paulo supra innuimus. Nam Petrus Razzanus auctor synchronus, qui Kyriaco familiarissime utebatur, tria veterum monumentorum ingentia volumina ejusdem manu scripta vidit, quod memoriae prodidit idem Leander Alberti in Piceno pag. 280. Scrisse egli (*Kyriacus*) tante cose, e tante ne rappresentò co' i liniamenti, e figure, che scrive Pietro Razzano molto dimestico di lui averne veduto tre gran volumi scritti, e lineati di propria mano di quello &c. *Idem P. Burmannus vir doctissimus, quem honoris causa toties heic nominatum volumus, dubitabat, utrum tct vetustatis reliquias ediderit.* An vero, *inquit*, epigrammata, quae undique collegit publicaverit affirmare non audeo, cum eorum mentionem a nullo fieri videam. *At decipitur vir doctissimus. Nam inscriptionum a Kyriaco editarum meminit Simlerus in epitome Bibl. Gesnerianae pag.* 180. Cyriacus, *inquit*, Anconitanus epigrammata quaedam, seu inscriptiones antiquas per

Illyricum iter collegit, & edidit. *Haec Simlerus: Universum tamen veterum monumentorum corpus in tria digestum volumina numquam e Kyriaci musaeo prodiisse arbitror, sed nonnulla tantum epigrammata amicis suis per litteras communicasse, eisdemque aliquam lucem afferre conatum fuisse. In epistola prima, quam huic Itinerario subjunximus, Johanni Ricinati Raguseae Metropolitanae Ecclesiae Pontifici titulum mittit Maceratae repertum, quem Helvia Ricina Colonia L. Septimio Severo Conditori posuerat. In octava ad Ludovicum Scarampum Patriarcham Aquilejensem inseruit inscriptionem, quam Aquilejae invenerat. Philephus quoque in Epist.* 49. *Lib. VI. Kyriaco gratias habet, quod ab eo saepe numero donaretur perpulchris quibusdam epigrammatis, meminitque eulogii in Homeri sepulchro insculpti, quod ad eum miserat Anconitanus. Ex his, multisque aliis inscriptionibus, quas ad amicos per epistolas transmittebat Kyriacus, profecta sunt illa apographa monumento-*

rum

rum veterum collectanea, quorum plurima in Bibl. MSS. adservantur. In illo Cod. Stoschiano, ex quo hoc Itinerarium in lucem producimus, exstant nonnulli lapides ex Ravenna, Roma, Urbino, Benevento, aliisque Italiae urbibus collecti, & in Musaeo locupletissimo Illustrissimi, ac Reverendissimi Marchionis, ac Subdecani Gabrielis Riccardii bono Reipublicae litterariae nati versavimus in Cod. Chartaceo in 4. num. 193. Inscriptiones ex veteribus Cycladum monumentis per Kyriacum. *Codex quoque chartaceus, qui delitescit in Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut.* 59. *Num. XVII. habet novem, aut decem titulos graecos ex Sardiatibus, Athenis, Jonia, aliisque Graeciae locis a Kyriaco exscriptos, ut & alter Codex Chartaceus ejusdem Biblioth. Plut. LXXX. num. XXII. continet nonnullos vetustos lapides, qui partim in Graecia, partim in Piceno legebantur. His, aliisque Commentariorum a Kyriaco congestorum apographis multi usi sunt, qui ad eadem studia operam suam contulerunt.*

Utrum Kyriaci scrinia expilaverit Jucundus Veronensis, qui eadem aetate Ludovici Agnelli Archiepiscopi Cosentini hortatu ad vetera monumenta colligenda animum adplicuit, affirmare non possumus. Id tamen, quod de Jucundo asserere non audemus, dicere non erubescimus de Michaele Ferrarino Regiensi, qui eodem seculo XV. veteres inscriptiones, arcus, aliasque antiquitatis reliquias conquisivit. Hujus Ferrarini codex manu exaratus adservatur Regii Lepidi, ex quo epistolam, ut vulgo vocant, dedicatoriam produxit Jo. Guascus in Hist. Litt. Academiae Patriae Lib. I., ibique plura de eodem Ferrarino Carmelita observantur. Alterum eorumdem collectaneorum MS. apographum videre est in Bibl. Regis Christianissimi num. 5998., ubi post inscriptiones Regii Lepidi collectas sequuntur epigrammata Romae reperta, quae ex Felicis Feliciani, & Kyriaci Anconitani laboribus excerpta fuisse testatur his verbis ipsemet Ferrarinus. Et a Felice Feliciano conterraneo meo,

nec

nec non a Kyriaco Anconitano ad delectationem legentium recollegi. *Felicianum excipiat P. Sabinus. Hic etiam iis adjungendus est, qui suam inscriptionum syllogen ex schedis Kyriaci Anconitani ditaverint. Fatetur id ipsemet in Epistola ad M. Antonium Coccium Sabellicum praeceptorem suum inter ejus epistolas relata Lib. IX. Ep. I., ubi haec scribit:* Scito me eo usque in ejusmodi veterum monumentorum indaginem progressum, ut partem ex iis, quae ipse hinc inde conquisivi, partem ex Cyriaci Anconitani, & cujusdam Fratris Jucundi plusculis quaternionibus, quos Laurentio Medici obtulit, fidelissime conscripta, & ex tota fere Europa collecta neglectis, rejectisque vulgaribus, ac plane gregalibus epigrammatis in unum corpus congesserim &c. *Primi tamen, qui excerpta ex Kyriaci schedis typis excuderent, fuere Petrus Apianus, & Bartholomaeus Amantius, qui, ut supra diximus,* Inscriptiones Sacrosanctae Vetustatis *Ingolstadii an.* 1531. *edidere. Postea ex*

Anconitani collectanea suum quisque ceterum monumentorum συναγωγὴν auxit, inter quos Reinesius, Donius, aliique, sed praecipue Ludovicus Muratorius Vir Cl., qui ad locupletandum novum veterum inscriptionum thesaurum, cujus tria jam volumina emisit, tam Schedis Stoschianis, quam Barberinianis a Pompejo Compagnonio viro Cl. sibi communicatis diligentissime usus est. Praetereundum tamen non est Cardinalem Barberinum seniorem, ut supra diximus, multo ante suis auspiciis effecisse, ut Inscriptiones Kyriaci Anconitani ederentur. Exstat haec editio in fol. sine loco, & typographi nomine ex pag: 44. conflata, & ad finem nunquam perducta fuit, continetque inscriptiones plusquam 200., ubi etiam indicantur non solum loca, ubi eaedem inventae sunt, sed veterum monumentorum icones depictae conspiciuntur. Emericus Bigotius vir Cl. in litteris ad Nicolaum Heinsium, Roma 27. Aprilis 1660. scribit Carolum Moronum editionem curasse. Is est Carolus Moronus Canonicus S.

Lau-

Laurentii in Damaso, ac Bibliothecae Barberinae Praefectus, quem Morovum perperam adpellat P. Burmannus. Plures Nicolai Heinsii epistolae ad Jo. Frid. Gronovium, Ezechielem Spanhemium, Octavium Falconerium, & Falconerii ad Heinsium de Inscriptionibus Moroni leguntur in sylloge Epist. a viris illustribus scriptarum, quas Leidae an. 1727. digessit, ac edidit P. Burmannus, earumque loca ad Moroni opus spectantia collegit Franciscus Hesselius in Append. Praefat., quam Gudii inscriptionibus praefixit. Antonius Augustinus Dial. XI., Schottus, idem Bigotius, aliique Kyriacum Anconitanum redarguunt quasi vero inscriptionibus a se confictis Ambrosio Moralesio imposuerit.

Parcius ista viris tamen objicienda memento.

Multas enim ex iis, quae a Kyriaco producuntur, nosmetipsi non sine improbo labore investigavimus in probatissimorum auctorum Collectaneis, ex quorum testimonio constat Kyriacum nobis fucum non fecisse. Exempli gratia Inscriptionem apud

Ma-

Maceretum, quam pag. 26. hujus Itinerarii se vidisse indicat, affert Leander Alberti in descript. Ital., eamque sub thesauro inseruit pag. 265. num. 11 Gruterus. Alteram pag. 45., quam praeseferent Portus Anconitanus, exscripsit Maximilianus Missonus Tom. I. Itiner. pag. 304., & Jo: Georgius Keyslerus in Itiner. Germanico, Boemico, Hungarico, Helvetico, & Lotharingico Part. II. pag. 445. seq., ut alios omittam. Idem & de graecis inscriptionibus dicendum. Inter illas, quas edidit Moronus, exstat pag. 20. epitaphium Basilidis apud Corcyram repertum. Hoc vero confictum a Kyriaco non est; Nam eamdem inscriptionem ex Corcyra accepit vir Cl. Apostolus Zenus, ab eoque dono acceptam inseruit pag. 428. Diarii Ital. Cap. 28. Cl. Bernardus Montfauconius, produxitque etiam Lucas Holstenius ad Stephanum in verbo σχερια, & Eminentissimus Quirinus Cap. XXII Primord. Corcyrae pag. 184. Quod si aliquis lapis a Kyriaco productus nunc non exstet animadvertendum est, multa vetera monumen-

men-

menta temporum edacitate deleta, multa a barbaris fracta ac dissipata, plura vero ab imperitis hominibus vel in usum aedificiorum adhibita, vel in calcem redacta fuisse.

Itinerario adjunguntur octo Epistolae ejusdem Kyriaci, in quibus nonnullas itineris sui partes describit. Primam edidit Mabillonius Tom. I. Mus. Ital. Part. I. pag. 43. ex membranaceo Codice Vaticano. Tertiam, & octavam adhuc ineditas erui ex MSS. Stoschiano, ex quo hoc Itinerarium exscripsi. Quinque vero, quae supersunt, producit Moronus inter Inscriptiones Kyriaci. Sed adeo imperite eae descriptae sunt, ut nihil supra. In Cod. Chart. Bibl. Laurentianae Plut. XXXIV. Cod. 53. reperimus carmen elegiacum Caroli Marsuppini, & in MS. pariter Stoschiano carmen alterum Jo. Cirignani cum ejusdem epistola ad eumdem Kyriacum, ad quem Cirignanum scripta est Epist. XII. Leonardi Bruni Lib. IX., & altera Jacobi Piccolominei Cardinalis Num. XII. Utramque heic addere lubet.

KY-

KYRIACO ANCONITANO JOANNES CIRIGNANUS Lucensis S. P. D.

* * *

PErquam obligatissimum me tibi semper habe, suavissime Kyriace, qui pro innata tibi in sanctissimam vetustatem mira quadam affectione, & caritate antiquissimae Lunae urbis ruinas visurus, ac maxime deploraturus civitatem & nostram Lucam visitatione tua, tuaque me charissima mihi supra quam dici possit amicitia illustrare dignatus es. Dignissimum vero arbitratus sum ego, te mi amantissime Kyriace virum, quem antiquissimarum rerum tanto captatum amore, & vetustissima quadam mira novitate refertum, atque plenissimum novo quasi quodam epigrammate tuis licet meritis, ac laudibus imparissimo decorem. Quod sane carminis genus etsi vel

vel mortuis affigi ſolet, tu tamen, chariſſime Kyriace, cum tuo Mercurio nunquam moriturus gratae noſtrae memoriae gratia fraterne ſuſcipias oro, & obſecro. Vale.

Mercurium generoſa novum te protulit Ancon
Kyriace in terris: neque enim Cyllenius ille
Divus, & aereus tot vertit climata curſu
Tam celeri, quo te video peragraſſe per orbem
Terrarum: quis enim ſupereſt locus ullus ubique,
Qui tibi non patuit, adeundusve ſuperſit?
Sidereus nec te ingenio, non artibus ullis
Vincit Atlantiades, nec mobilitate per auras
Tam celer eſt, quam tu pedibus, terraque, marique:
Nec ſibi tantus amor cytharam pulſare ſonoram,
Sive agilem tantus amor exercere palaeſtram,

Ky-

Kyriaco quantus amor huic epigrammata noſtro
Eſt reperire, deûmque, hominûmque veterrima dicta:
Orphei nec fuerit major Proſerpinae ab umbris
Cura reflectendae, ſuperaſque reducere ad auras,
Quam tibi Kyriace deletam nobilitatem
Antiquam in lucem curae eſt revocare novellam.
Dî tibi quid referent pro tanto munere, & urbes?
Quidve viri illuſtres? orbis portenta, feraeque?
Quidve urnae, ſtatuae, portus, thermaeque, viaeque?
Marmoris, argentique fodinae, aurique cavernae?
Quas nemo intrepidus, niſi tu ſpectaſſe refertur.
Quid de litterulis graecis dicam, atque latinis,
Quas mira nouitate, modis mirifque retexis,

Qua

Quarumque antiquas reparas, renovasque figuras?
Quidve tibi debent Romanorum monumenta
Regum inscripta numismatibus, sacrisque cavata?
Quae tu non auri precio, non pondere pensas.
Cara tibi forma: omni preciosius auro
Caesareos proceres tibi respectare, triumphos.
Quis tandem rogo Mercurium vivum, atque loquentem
Pinxisset, nisi tu sis Mercurius novus alter?
Ergo tibi numquam morituro epitaphia nolim
De more haec scripsisse: Deo sed gaudeat aether
Ipse suo; nostro nos Mercurioque fruamur
Kyriaco in terris: aeternum vive, valeque.

EUGENII *Pontificis anno XII.*

KAROLI ARRETINI

AD

KYRIACUM ANCONITANUM

Carmen Elegiacum.

Kyriace antiquos inter numerande poetas,
Rhetoras antiquos, inter & historicos,
Tu modo navalis ſcribis diſcrimina pugnae,
Et modo Mercurio Caeſaris acta canis.
Eloquio grajo dictas epigrammata ſaepe,
Saepe etiam noſtro carmina multa facis.
Omnibus in rebus adſunt tibi numina muſae,
Dant certe ingenio vela ſecunda tuo.

Igno-

Ignorant docti causas, quaeruntque frequenter,
Unde tibi eloquium, copia tanta tibi est?
Nec certe immerito, cum nil didicisse magistro
Dicas, & ferulae subripuisse manum.
Ast ego cognosco spirent cur pectore vates,
Cur sermone vales, carmine curve vales.
Hic maria, & ventos, & durbs perferet imbres,
Ut sibi quam grandes accumulentur opes.
At tu non gemmis, non fulvo carperis auro,
Sed res antiquas quaerere magna sitis.
Nam modo Pyramidum spectas miracula solers,
Et legis ignotis scripta notata feris.
Nunc & reliquias Babilonos quaeris, & horti
Pensilis, & quanta moenia lata ruant.

Nunc

Num Karia antiquo fuerit ſpoliata ſepulcro,
Vel Mauſolaei nobilis exſtet opus.
Diruta templa petis totum celebrata per orbem,
Omnis & antiqui nomina gymnaſii.
Hinc Divi exploras quae ſint epigrammata Homeri,
Quaeque & in Aſcraei morte notata ſenis.
Quin etiam purgas ſpinis obducta ſepulcra,
Priſcorum & verſus reddis in ora virûm.
Et modo de vaſta miſiſti epigrammata rupe,
Quae fuerant Muſis, Panque dicata tibi.
Denique quae tabulae, quaeque aera, & marmora ſignant,
Omnia ſunt chartis illa repoſta tuis.
Sicque tuo heroes, ſic vivunt munere vates,
Vivit & orator, vivit & hiſtoricus.

Tan-

Tanguntur ſuperi meritis, tanguntur & umbrae,
Tangitur Elyſiis turba locuta thoris.
Quandocumque igitur mente ſcribenda revolvis,
Haeret & in digitis charta notanda tuis.
Creditur Elyſia ſcriptorum ſede relicta
Ludere per thalamos agmina docta tuos.
Seu cupis hiſtorias, ſeu malis ſcribere cauſas,
Seu pedibus vinctus, ſive ſolutus eas.
Virgilius verſum, verſum tibi dictat Homerus:
Tullius ardenti ſuggerit arma foro.
Suggeris hiſtorias facundo pectore Livi,
Annales priſcos ſuggeris ipſe Fabi.
Sive optas elegos, ſpirat de pectore Calvus,
Callimachus ſpirat, ſpirat & Ovidius.

Seu

Seu gaudes nugis, veniunt magno agmine nugae,
Plenaque ſunt nugis omnia dicta tua.
Denique de nihilo ſi nil deſcribere temptes,
Omnia quae ſcribis dicitur eſſe jocus.
Felix qui tantos valeas ſimulare poetas!
Et valeas etiam, cum cupis eſſe jocus.

EUGE-

BEATISSIMO

EUGENIO IV.

OPTIMO, MAXIMOQVE PONTIFICI.

POstquam de rebus profanis quidem in Barbaros peragendis, quae digna mihi potissimum visa sunt, immenso Tuam erga Sanctitatem devotionis affectu nuper Almae B. T. scripsisse, ac ore saepius detexisse, coramque retulisse certo cognoverim,

Eminentissime Pater, Te jamque alacriori animo conspicimus adversus Nileam, Pelusinamve formidabilem illam, & perniciosam Babylonici Regis navalem expeditionem, barbaricasque alias maritimas incursiones, minasque nefarias, & insolentes Angelum Maurocenum Equitem praeclarum, fortissimumque Rhodiae classis, Archieraticaeve tuae, vel Pontificiae navalis rei Praefectum, nec non suos illos in mare collegas Joannem cognomento Longobardum, aliosque maritimae quidem rei doctos, atque solertissimos homines Petro (1) Quirino viro certe nobili, & egregio Venetûm Oratore curante aere nempe tuo magnanimiter exercere coepisse. Quae quidem fausta, felicissimaque principia ad nostram religionem, latinamque diu jam torpentem ocio generosissimam olim gentem ad gloriam, & laudatissimam expeditionem excitandam

non

1 Petrus Quirinus vir patricio loco natus pater fuit Thadaei Quirini viri doctissimi, cujus oratio ad Imperatorem Fridericum III. habita legitur apud Freherum Tom. II. Script. German.

non exiguum conſpirationis Sanctiſſimae ſeminarium erit, neve magna ſine, perpetuaque tuae inexplicandae Beatitudinis laude, longaevaque poſteros inter, & immortali gloria.

Ego quidem interea magno viſendi Orbis ſtudio ut ea, quae jamdiu mihi maximae curae fuere, antiquarum rerum monumenta undique terris diffuſa veſtigare perficiam, & ea, quae in dies longi temporis labe, hominumque incuria collabuntur, & memoratu digna viſa ſunt, litteris mandare valeam, clementiſſimae Tui numinis Majeſtati me ipſum devovi, dedicavique totum. Equidem alterum quempiam toto orbe Principem cognovimus, quem maior tali de re cura tangere poſſit? Vel cui externarum gentium, atque urbium explorationem majorum more maiori denique ſtudio indagare, percunctarique pertineat, & deceat? Etenim te pluries lectitaſſe non dubito, Pater Alme, Hieronymum ſeniorem illum Beatiſſimum, & devo-

tum tuum, ſacriſque tuis Praedeceſſoribus Cardinibus ad Paulinum ſuum Nolanae Eccleſiae Pontificem in ipſo Sacrae Hiſtoriae librorum principio recenſere, quas antiqua per volumina cognoverat, externas indagaſſe provincias, maria undique tranſjeciſſe, externos, novoſque adire populos maluiſſe; ut eos coram inſpiceret, quorum inclyta e libris nomina, probitatemque pernoverat. Noviſti Pythagoram illum Samium philoſophorum inſignem ad Aegyptum Memphitios illos Vulcani, & ſapientiſſimos Sacerdotes adiiſſe.

Quin & aevo noſtro ad me tam exiguum Sanctitatis Tuae ſervulum, dum exacto jam fere quinquennio Patavium ad Petrum Donatum [1] Epiſcopum ejusdem Urbis Pontificem, & filium devotiſſimum tuum me humanae rei gratia contulerim, vir quiſpiam Latinus haud inter vulgares

quum

1 De Petro Donato patricio Veneto, celeberrimoque Juriſconſulto, cujus opera uſus eſt Eugenius IV., Petrique Marcelli in Epiſcopatu Paravino anno 1428. ſucceſſore conſulendus Ughellius Tom. V. Ital. Sacrae.

quum meam forte curam intelligeret, exasticon his denique verbis inscripsit.

Lustrasti veterum quaerens monumenta virorum
Extremos populos imitatus maxime mores
Ipse Pythagoreos: jam te, Kyriace, per orbem
Fama canit dignas spargens per saecula laudes.

Et alia humanae ferme jactantiae mei quidem indigna plurima. Quin & Leonardum utique Florentinum illum Dathum (1) egregium Reverendissimi Cardinalis, & excolendissimi Nepotis (2) tui Vicecancellarii Se-

1 Hunc Leonardum Dathum non solum Cardinalis Francisci Condulmerii Vicecancellarii a secretis fuisse, sed etiam apud Petrum Barbum Cardinalem annis plurimis vitam suam exegisse, eidemque postea Pontifici nomine Pauli Secundi idem officium praestitisse tradit Gaspar Veronensis auctor synchronus in vita ejusdem Pontificis, ubi plura de Datho nostro.

2 Francisci videlicet Condulmerii Cardinalis Venetiarum Eugenii IV. ex fratre nepotis, qui anno 1440. a Camerariatu ad Vicecancellariatum translatus fuit, ut discimus ex vita ejusdem Pontificis scri-

Secretarium ad Urbem mihi versus dedisse certo scimus, qui & talia coeperant.

Vidisti Latias urbes, ubi fortia facta:
Vidisti Argivas, barbaricasque simul.
Vidisti insculptos Divos, & martia bella
Quae gesserunt, & Bellerophontis equum &c.

& reliqua alia, quae in hac parte recensere laudi ambitiose faventis esset. Karolum vero (1) Arretinum illum doctissimum, & optimum Secretarium Beatitudinis Tuae suos inter, quos de me jampridem conscripserat, elegos talia hac utique de re cecinisse cognovimus.

Hic maria, & ventos, & duros perferet imbres,

Ut

scripta ab auctore coaevo, & publica luce donata a Stephano Baluzio Tom. VII. Miscell.

1 Carolum Marsupinum nobile temporis illius ingenium, & graecis, ac latinis litteris eruditissimum, ut eum nuncupant Volaterranus, ac Blondus. Platina in Eugenio IV. *Leonardum Arretinum, Carolum, Poggium, Aurispam, Trapezuntium, Blondum viros doctissimos secretis suis admisit &c.*

Ut sibi quam grandes accumulentur opes.
At tu non gemmis, non fulvo carperis auro,
Sed res antiquas quaerere magna sitis.
Et nunc Pyramidum spectas miracula sollers,
Et legis ignotis scripta notata feris
Nuper & e vasta misisti epigrammata rupe,
Quae fuerant Nymphis, Panque dicata tibi &c.

& alia ad indignam mei laudem elegantia multa, quae longum esset omnia hac utique in parte componere. Noverunt & Siculi homines haud ignari meam hac de re curam, quoniam & olim apud Ferrariam Joannes Aurispa B. M., & ille hodie Secretarius tuus (1) hos mihi dederat elegos:

 En-

1 Volaterranus Lib. XXI: Anthropol. *Joannes Aurispa Secretarius Apostolicus sub Eugenio inter eruditos non admodum ignobilis ea tempestate*. Hunc Siculum *sane doctum, & honoratum* fuisse scribit pag. 15. sui Dialogi Cortesius. Ejus tamen carmina tamquam tumida contemnit Gyraldus.

Ennius antiqua dicit de sede salutem
Kyriaco claro pro novitate viro:
Nuper ad Elysias venit Mercurius oras,
Et dixit supero quidquid in orbe geras.
Perquiris veterum sollers epigrammata rerum,
Solus es & veterum spesque salusque virum.
Gratus ob id cunctis, praesertim gratus Homero es:
Gratus Virgilio, gratus & Ovidio.
Cur tibi non parvam sedem decernimus una,
Ut possis Lachesi dulce jubente frui?
Ergo inter quosdam, quos Gellius ipse notavit,
Hic locus est dictus jam, Kyriace, tuus.

Marrasium [1] vero & ibidem ea tempestate Siculum Poetam hoc mihi misisse cognovimus epigramma:

Si qua fuere virum divina epigrammata saxis

In-

1 Hic est ille, Marrasius, ad quem exstat una Leonardi Arretini epistola Lib. VI. Num. 1.

Insculpta obscuro nomine, clara facis.
Tanta libido animo veterum monumenta videndi
Fixa tuo: ut mundus area parva fuat.

& alia meas ferme vires una cum Antonio Panormitano (1) suo superantia supra modum.

Quid de Latinorum nostra aetate insigni Leonardo Arretino illo nostro dicamus, qui quum nuper in his quatuor, quos de Italico Bello ad Julianum Caesarinum Cardinalem Episcopum fratrem tuum conscripserat libris de Ancona civitate patria nostra mentionem in Secundo praecipuam habuisset, ad me nuperrime tanta de

re

1 Idem Volaterranus: *Antonius Panormita Alphonsi Aragonis Siciliae Regis magister epistolarum fuit, ejusque dicta, factave memorabilia conscripsit*. Hunc juris bene peritum, perargutum poetam, sermonisque Plautini aemulatorem fuisse testatur Cortesius pag. 29. de hominibus doctis, ubi ejusdem epistolas *languidiores* esse arbitratur. Vide Bibl. Siculam Antonii Mongitoris, & Neapolitanam Nicolai Toppi, Appendicemque Nicodemi &c.

re scribens talia verba[1] coepit : *Quid mihi dabis, Kyriace, si tua de urbe Anconitana tibi multa, ac praeclara vetustatis monumenta ostendam, quae tu numquam vidisti, licet Acarnaniam totam cum Aetolia, & Boeotia lustraveris, & Peloponnesum, Spartamque, & Argos inspexeris, & quicquid antiquitatis est in illis erueris, & Athenarum Propylaea nobis descripseris. Ego tamen, dum tu peregrinando aliena conquiris, ipse manendo domi tua, idest patriae tuae monumenta tibi invisa, incognitaque perspexi. O magnam vim animi nostri, ac penitus divinam! Siquidem dum stamus domi, ipse peregrinatur &c.* & praeclara alia in illa subjecit epistola fecundissimus ille vir, quae omnia hoc in loco reponere supervacaneum fore existimavi. Alii vero plerique latinae, grajaeque facundiae apprime clarissimi viri, ut Nicolaus ille Niccolus

1 Haec epistola legitur Lib. IX. Num. v. superae editionis epistolarum Leonardi Arretini a nobis recensitae Tom. II. pag. 149. seq.

lus diligens (1) biblicultor, Poggius (2), & ipse noster Guarinus (3) Veronensis, Cin-

1 Ludovici Marsilii discipulus fuit, de quo ita cecinit Ugolinus Lib. III. de Illustr. Flor. pag. 74.

Niccola progenies vetus est, sed nemo superstes,
Ni docti quod fama viri memoratur ubique,
Nilque licet scripsit, volitat tamen ille perennis
Docta per ora virum, & merito, quia veste, domoque,
Innumerisque libris, quorum illi copia magna
Extitit, ingenia hortando non largius alter
Foverat, & grajam edoctus, linguamque latinam
Mille emendatas chartas liquisse putatur.

Eumdem nihil scripsisse traditum est etiam a Blondo in Ital.Illustr. Sed Librum de Orthographia ab eo elucubratum ostendi Tom. I. Epist. Leonardi Arretini §. XXVI. in Praef., ubi etiam probavi eumdem ignobili genere ortum fuisse. De Niccolo sic Cortesius pag. 14. *Iisdem temporibus fuit Nicolaus Niccolus, qui magnam gloriam adeptus est in colendis amicitiis doctissimorum hominum.* Vide orationem Poggii in funere hujus Nicolai.

2 Poggius Bracciolinus e Terra Nova oriundus oppido agri Arretini. Cortesius: *Is* (Poggius) *orationes reliquit, quae & facundiam, & mirificam ingenii facilitatem ostendunt. Tendebat toto animo, & quotidiano usu ad effingendum Marcum Tullium. Sed habet hoc dilucida illa divini hominis in dicendo copia, ut aestimanti se imitabilem praebeat, experienti spem imitationis eripiat &c.* Vide Poggiana Jac. Lenfantii, & Jo. Recanati Apologiam.

3 Volaterranus Lib. XXI. Anthropol. *Guarinus Veronensis Ferrariae praecepit, litteris, ac stylo dicendi Leonardo inferior, diligentia-*

ta-

Cintius [1], Maphaeus Vegius Laudensis [2] Sanctitatis Tuae Datarius, Flavius [3] Blondus, Philelphusque [4] Picenus, & meus ipse concivis Francis-

tamen, *&* *labore infinito*. *Hunc Magistrum fere omnium*, *quia sua aetate in humanitatis studio floruerunt* appellat Pius II. Lib. II. Comment., ejusque *Domum quasi officinam quamdam fuisse bonarum artium* tradit pag. 13. Dial. Paulus Cortesius. Videndus Cl. V. Scipio Masseius Marchio Lib. III. Veronae Inlust.

1 Cintius, vel Cencius Romanus Francisci de Fiano discipulus, qui cum Poggio Bracciolino, & Bartholomaeo de Monte Politiano ex tenebricosa Turri Monasterii S. Galli prope Constantiam multos ex veteribus auctoribus jamdiu deperditos in lucem produxit.

2 Eadem apud Martinum V. dignitate auctum fuisse auctor est Volaterranus Lib. XXI. Anthrop. *Maphaeus*, inquit, *Vegius patria Laudensis Martini Quinti Datarius fuit &c.*

3 Se Foroliviensem fuisse testatur ipsemet de Forolivii verba faciens in Ital. Inlustr., ubi de quinque suis filiis mentionem facit.

4 Volaterranus Lib. XXI. Anthropol. *Franciscus Philelphus patria Tolentinas ad omne genus scribendi se se accommodavit &c.* Blondus: *Franciscus Philelphus ab ipsa gente Chrysolora Constantinopoli eruditus Venetiis*, *Florentiae*, *Senis*, *Bononiae*, *&* *demum Mediolani graecas plurimos litteras docuit*, *&* *latinas &c.* Ingenium vagum, multiplex, ac volubile habuisse recte observat Cortesius. Consule vitam Francisci Philelphi a Cl. Lanceloto scriptam.

ciscus (1) Scalamontius Eques praeclarus. Sed ante alios omnes opum ille dives, & rerum copiosissimus (2) Kosmas, peritissimusque (3) . . . . . . hoc ipsum venerandae vetustatis meum ingens, & inexorabile desiderium non parvi faciundum censuerant, quum suas mihi saepe humanitatis gratia dedissent epistolas, in queis alter me mundiciarum observatorem, alter denique Kyriacum (4) . . . . antiquitatisque cultorem diligentissimum vocitarat. Quin & hac utique in urbe novissime quidem novimus Laurum insurgere (5) Quirinum Venetum

1 Blondus de Ancona loquens: *Habet*, inquit, *nunc Franciscum Scalamontem, & Nicolaum Jureconsultos bonarum literarum studiis ornatos &c.*

2 Cosmas scilicet Mediceus. Blondus in Etruria: *Viris etiam nunc Florentia, sicut antea consuevit, omni virtutum laude praestantissimis ornatur Cosmo imprimis Mediceo, quem omnes totius Europae cives opum affluentia superantem prudentia, humanitas, liberalitas, & quod nos maxime ad ejus laudes incitat, bonarum artium praesertim historiarum peritia celebrem reddunt &c.*

3 Heic deest nomen viri alicujus ea aetate doctissimi.

4 Heic quoque deest nescio quid.

5 Blondus de Venetiis agens: *Laurus Quirinus ma-*

tum Patricium certe nobilem, & latine, graeceque perdoctum, qui quum nuperrime eo in carmine, quod in Florentina Scaena XI. Kal. Novembris de praeclarissima rerum amicitia materno quidem eloquio brevissimum habuimus, commentarium latine, ornateque scripsisset, me quoque prima in parte antiquarum rerum curiosissimum repertorem vocitare maluerat.

Etenim vero antea Romanus Portius (1) quidam Poeta meam ipsam curam sua per elegiaca memorare delegerat his verbis:

Ille sub Actiacis epigrammata collibus acta
Colligit, & docte graeca latina facit.

quae-

magnae graecarum, latinarumque litterarum peritiae juris cognitionem addidit.

1 Nonnullae Ambrosii Camaldulensis epistolae ad Stephanum Portium Romanum Equitem, ejusque fratrem Marianum exstant Tom. III. Collect. Vett. Monument. Illius *vim ardentem*, *ingeniumque excellens* laudat Ambrosius: Hunc vero Gasparis discipulum esse indicat; & *eximiae indolis*, *Romanae gravitatis*, *summaeque jucunditatis puerum ad studia humanitatis excitum*, & *ardentem* nuncupat.

Quaeque superfuerant veterum monumenta, poetae
Omnia Kyriaco Roma vetusta dedit.
Ille triunphales de marmore sublevat arcus,
Ille locat scaenas, amphitheatra docet.
Cosmographum similem nec tempora prisca tulere,
Nostra nec, haud similem saecla futura ferent.

Ignosce, Pater Alme, nec me nimium voceris, si & decus ipse meum hujusce loci in parte rescribere conor, verba scilicet explicare, quae de me hodie Genuensis jactarat Henricus ille Stelleus juvenis egregie doctus, & indolis bonae praeclarus.

Italiam decorat, quem Dorica protulit Ancon,
Kyriacus: curam totius orbis habet.
Ille etenim promptus cunctas Orientis ad oras
Ivit ab humanis nulla pericla timens.
Non pelagus, saevasque feras, non tela, neque hostes

Exti-

Extimuit, habilis semper & ille fuit.
Ergo quae antiqui caelarunt mollius aera,
Viva quoque inspexit marmoris ora virum.
Gentibus ignoti vidit animalia Nili,
Et quidquid tanti fluminis unda creat.
Atque ea cuncta quidem fidis partitur amicis,
Et manibus largis est benefactor eis.
Humani generis curamque in pectore gestat &c.

& alia aliorum instar me, meaeque exiguae facultatis limites praeter modum transeuntia. Sed quos alios illa de inclyta Genuensium urbe praeclaros aetate nostra viros praeteream, quos peregregie meam cognovimus exornasse curam, ut vel in primis Baptistam[1] Cicadam praestantissimum Equitem Senis, & ipsa in Urbe apud Sigismundum Caesarem, Andream Impe-

1. De hoc videndus Ubertus Folieta in Elogiis Clarorum Ligurum.

Imperialem (1) Mediolani apud Philippum Ducem, & exinde dum Genuam ipsam peterem ad Paulum Fratrem, & Jacobum (2) Bracellum egregium P. Rei Scribam, elegantissimas epistolas ad me dantem. Omittamne & ipsa in civitate nobiles illos cives Franciscum (3) Spinulam, Joannem Grillum, Benedictumque Nigronem, qui & Duce Ph. mei gratia moniti me postquam humane susceperant omnia mihi civitatis insignia ostentantes nobilem illum preciosissimo de (4) smaragdo cratera lubentissime vidimus, & praeten-

1 Andreas Bartholomaeus Imperialis tamquam *vir clarissimus*, & legatione apud Pontificem Romanum functus memoratur a Jacobo Bracellio in Descript.: Orae Ligusticae ad Blondum.

2 Hunc inter doctos Genuenses recensuit Blondus in Ital. Inlustr. his verbis; *Paucos habet* (Genua) *egregie litteratos, quorum notiores nobis sunt Nicolaus Ceba, ac noster item Jacobus Bracellus, ac Gotardus Principis Scriba*.

3 De duobus Franciscis Spinulis consulendus Folieta in Elog. Cl. Ligurum.

4 Hunc ex Caesarea oppugnata Genuam advexit Gulielmus Embriacus Genuensis, atque in D. Laurentii Gazophylacio Kyriaci aetate adservabatur. Jacobus Bracellius auctor Synchronus in libello de claris Genuensibus: *Ille* (Embriacus) *vasculum Sme-*

tentavimus manu. At & quis praetermitteret egregios, & insignes illos e Venetiarum splendidissima civitate viros Franciscum (1) Barbarum Equitem praeclarum, Marcum (2) Lipomanum, Ludovicum (3) Foscarenum jurisconsultissimum hominem, Joannem (4) Cornelium, Fredericum Contarenum, & ex amplissimo Hieronymum

Smeragdinum, quod nunc in Divi Laurentii Sacrario magna veneratione servamus, omnibus spoliis anteposuit, nobilisque victoriae monumentum Genuam pertulit &c.

1 Volaterranus Lib. XXI. Anthropol. *Franciscus Barbarus Venetus e Schola Chrysolorae utraque lingua eruditus &c.*

2 Blondus in Ital. Inlustr. *Marcus quoque Lippomanus jureconsultus graecas, chaldaeas, hebraeas litteras atque, ac latinas egregie doctus erat &c.*

3 Idem Blondus: *Pariter Zacharias Trivisanus superioris Zachariae filius, ac virtutis haeres, Barbonus Maurocenus, Ludovicus Foscarenus, Vitalis Landus, Candianus Bolanus jureconsultissimi, Nicolausque Canalis etsi juri civili, & simul Reipublicae sunt dediti, tamen oratores, poemataque, & historias egregie callent &c.*

4 Blondus: *Joannem vero Cornelium, sive ut nunc corrupte eam appellant vetustam gentem, Cornarium doctum, elegantemque moribus Venetiae haben:.*

mum (1) Ordine, Marcum Foscarum, Petrum (2) Loredanum, Paulum Coranium, & Andream utique Contarenum, nec non patricium extra ordinem P. (3) Thomasium Physicum optimum, Paulumque (4) Pergulensem Phisologicum doctum, quos omnes apprime Italos inter claros homines meam ipsam curam literis, oreque probasse dignissime cognovimus. Sed

1 Hieronymum scilicet Barbadicum filium Francisci Barbadici, eumque *litterarii ornamenti gloria* floruisse tradit Blondus.

2 Idem Blondus. *Petrum Lauredanum rebus bello gestis clarissimum, quem Veneti alterum Claudium Marcellum in sua patria appellare possunt, hoc in loco a nobis poni mirabuntur, qui meminerint eum latinas litteras grammaticales penitus ignorasse. Sed ejus ingenium non duximus merita fraudandum laude, quod omnia, quae per aetatem suam mari gesta sunt, quorum ipse magna pars fuit, & maris portuositates, navigandique rationem vulgari scripto copiosissime persecutus est &c.*

3 Idem Blondus: *Petrus Thomasius medicorum non magis Venetorum, quam ceterorum aetatis nostrae eloquentissimus habetur.*

4 Idem Blondus: *Paulus Venetus Religiosus dialecticos nostri saeculi superavit, qui & paucis in Philosophia cedens Theologus quoque insignis est habitus &c.*

inter primarios Leonardum [1] Justinianum generosum, rerumque peritissimum hominem minime praetereundum censui, qui quum exacta tempestate pro Venetis Foro-Julianam Provinciam Praetor administrasset; ad eum me sui, & Aquilejaniae civitatis visendae gratia contuli; qui & me tanta voluptate susceperat, ut omne meum pariter Canonicam primo, deinde vero Decanam, & denique Episcopalem mihi daret optimam, atque venerandissimam sinodiam, & quum conversus ego e Venetis essem, talia sibi meis jactasse litteris habeto: *Nam quid denique restat, nisi ut te quoque juvante ad Cardinalem, exinde ad Papam, & demum . . . . me divinam usque societa-*

1 De hoc ita idem Blondus: *Leonardum Justinianum* (hoc seculo vidimus) *magni, nobilisque ingenii virum, qui inter alia humanitatis latina, & graeca studia musicae adolescens, juvenisque deditus doctissimis carminibus, & peritissime vulgariter compositis omnem replevit Italiam, & post natu grandior scripto, & pronunciatione tum latina, quam vulgari eloquentissimus, & Senator gravissimus in administratione Reip. potentissimus fuit &c.*

tatem adjungam? si fas, tantumque dicere dignum est.

Quid & magnis de Principibus dicendum? Quod quum Romae te Pontifice ad Sigismundum Caesarem me Tui, suique gratia contulissem, postquam de rebus agendis, meaque de potissima rerum indagandarum cura Majestati Suae, quae pro re digna visa sunt, detexi, dum saepe tanto cum Principe vetustatum reliquias undique per Urbem disjectas inspectamus, talia & sibi Romanorum priscorum afflatus numine dixi: *Non equidem parum putabam Opt. Aug. Caesarei Principis animum lacessere, quod qui nunc vitam agunt Romana inter moenia homines marmorea, ingentia, atque ornatissima undique per Urbem aedificia, statuas insignes, & columnas tantis olim sumptibus, tanta majestate, tantaque fabrum, & Architectorum arte conspicuas ita ignave, turpiter, & obscene in dies ad albam, tenuemque convertunt cinerem, ut eorum nullam brevi tempore speciem, vesti-*

fligiumve posteris apparebit. Proh scelus! Et o vos inclytae Romuleae gentis manes

Aspicite haec, meritumque malis advertite numen.

Heic primum ille Princeps tanta de hominum incuria, rerumque calamitate indoluit: meum deinde tam dignae rei desiderium laudavit, & Mathaeo illo nobili Praefecto suo curante sua me Caesarea familiaritate decoravit. Exinde vero apud Mediolanum nobilissimam Insubrum civitatem Philippus ille insignis Ligurum Dux cum meam epistolis curam intelligeret, ipsam haud aspernandam duxit, sed Urbano Jacobo optimo suo illo intercurante Secretario suae quaeque civitatis egregia; & extra Ticinianae Arcis copiosa ab antiquae gentis origine monumenta, hortosque Regios, & ingentia ferarum claustra nobile sui magnificentissimi Principis opus vidimus late, nec non eo jubente Insubrum quicquid nobile reliquum vetustatis exstat, inspeximus

Bea-

Beatissime Pater. Exinde vero concedens apud Neapolim Parthenopaeam illam nobilem Campaniae civitatem me quam avidissime contuli Joanna muliere illa Serenissimi Caroli filia, & Ladislai sorore Regis nobilissimi regnante Regina, quae me postquam Kyriaci Sylvatici illius egregii olim familiaris Regiae Majestatis patriae nepotem cognoverat, me perbenigne suscepit Joanne Caracciolo viro nobilissimo Equite, & B. M. Praefecto suo curante, favitanteque. At ibi postquam marmoreum Castoris, & Pollucis vetustissimum templum graeco cum epigrammate, & alia egregia vetustatis vidimus, nostris & adjecimus Commentariis, jussus ab his Hercules Puteolanus Praefectus me Puteolos usque comitatus est, quo duce vetusta Sybillae templa, Averni lacus, & usque Misenum ad celebrem montem omnia Cumarum, Bajarumque monumenta inspexi, ubi Lucullianorum, Neronianorumque magnificorum operum plurima nostram ad

diem vestigia prospectantur. Exinde Christophoro juvante Cajetano Linternea Scipionis monumenta, & Tarracinarum marmorea Augusti Caesaris templa vidimus, & ingentia silicum strata viarum, & inde apud Samnites ad egregiam illam Beneventanam urbem nobiles vetustatum reliquias theatra, & insignem Divi Trajani Caesaris arcum inspeximus, & inde pariter Cajetanis, Suessanisque visis monumentis Tyrrhena demum maria Anconitana navi transfretantes una tuis cum Daniele Parentino (1) Pontifice, & Joanne Bosculo ad Alphonsum inclytum Tarraconensium Regem Oratoribus Siciliam venimus Lipareis, Vulcaneisque fumantibus Insulis procul inspectis, & Pachyno per Scyllaea perniciosa vada superato. Sed & Trinacriae tria illa nobilia vidimus Promontoria, Pelo-

1 Daniele Scoto Trevisino paulo ante Episcopo Aemoniensi ad hanc Ecclesiam translato anno 1426. id. Januarii, annoque 1433. Concordiensis Episcopus effectus est. Ita fere Ughellius Tom. V. Italiae Sacrae.

rum, Pachynum, Lylibaeumque, & egregias maritimas urbes Messanam, Panormum, Drepanumque, & arduum Taurominium oppidum, Aetneumque celsum, fumiferumque suspicere montem curavimus, & inde implacabilem per Charybdim Ausonicum Leucopetrae adivimus Promontorium, & antiquam Rhegium civitatem; & tandem per Lucaniam e Calabris Apuliam venimus, ubi Sfortiano illo Francisco Comite Illustrissimo favitante sua quoque vidimus loca, Manfredoniamque inter dirutam Sipontum, & Gargani montis promontorium sitam. Sed antea exitiales apud Cannas Baroletum vidimus oppidum, ac ingens in eo ex aere simulacrum, quod Heraclem sanctum incertum vulgus appellare consueverat. Inde vero me nostram ad Picenum provinciam verti, & Firmianae Coloniae vidimus augustam, Girofalcaneamque arcem praecelsam. Hinc Ricinetum venimus dirutos longa vetustate muros, quorum epigramma-

te

te (1) apud Maceratam viso, quod Helvia Ricina Colonia L. Severo Caesari suo dederat conditori, cognovimus Recanatenses Ricinates recte vocitari debere, & ex antiqua ibidem alia inscriptione visa non ab urbis alius, quas vidimus, reliquiis nuncupandum, sed ab urbe Helvia Ricina dicendum esse cognovimus. Exinde vero

1 Inscriptio a Kyriaco in Commentariis producta talis est.

IMP. CAESARI
L. VERI AVG. FILIO
DIVI PII NEP. DIVI
HADRIANI PRONEP. DIVI
TRAIANI PARTH. ABNEP.
DIVI NERVAE ADNEPOTI
L. SEPTIMIO SEVERO
PIO PERTINACI AVGVSTO
PONTIF. MAXIMO PARTHICO
MAXIMO TRIBVNIC.
POTEST. XIII. IMP. XI. COS. III.
P. P.
COLONIA HELVIA RICINA
CONDITORI SVO.

Hanc inscriptionem adtulit etiam Gruterus ex fide Dionysii Harduini T. I. Edit. Amstel. pag. 265. num. 5., sed paulo aliter legit, nempe vers. 8. *Pio Pertinaci Aug. Arabic. Adiab. Parthic. Maximo. P. M. Tribunic. Potest. &c.*

vero per Flamineam Provinciam Pandulpho Equite insigni, & Karolo nobilissimo juvantibus heroicis, & humanissimis viris Ravennam adivimus antiquam Bojorum urbem, ubi vetusta plurima, & Neptunalia vestigia vidimus, Dantisque dulcia monumenta nostri, & utique recensita Caesare a Germanico moenia, classiumque littora, & pineam illam nobilem penetravimus Sylvam. Ac deinde per Bononiam ad Liguras me iterum, & Cenomanas urbes converti, & primum Togatam apud Galliam Mutinensia egregia monumenta Scipionis (1) ejusdem urbis optimi Pontificis gratia inspectare, litterisque mandare malui. Exin magno videndi patriam mei vatis amore Mantuam antiquam venimus Cenomanam, & fortunatam tanti nominis urbem, ubi Joanne (2) Francisco Clariss. Principe favi-

1 Scipio de Mainentibus hic est, qui ad Mutinensem sedem promotus fuit anno 1436. Videndus Vghellius Tom. II. Ital. Sacr.

2 Ioanne Francisco Gonzaga, quem *praestantissimum Principem*, *bello & pace clarissimum* fuisse te-

vitante, & Victorino Feltrensi (1) natorum ejus optimo praeceptore, viroque apprime docto magnopere intercurante Pietolam ipsius vatigenam Maronis villam, ejusque tuguria, & memorabile solum contigimus, ac ipsa in civitate marmoreum tam sanctissimi Poetae simulacrum suo cum dignissimo epigrammate laete, jocundeque conspeximus. Et his demum exactis Veronam venimus alteram, & praeclaram Cenomanae regionis urbem Catulli, Pliniique Secundi inclytis nominibus claram, & aevo utique nostro apprime Guarini rhetoris Clariss. perornatam, ubi & insignia vetustatum plurima vidimus, & Arenarum Augusta ex L. Vitruvio nobilissimo Architecto, theatra anti-

qua,

testatur Blondus in Lomb. Videndus Platina in Hist. Mantuae.

1 Ludovici nempe, & Caroli &c. Idem Blondus: *Hujusmodi parentum laudibus* (nempe Jo. Francisci Gonzagae, & Paulae uxoris) *respondentes Ludovicus Marchio, Carolusque fratres etsi arma cum laude tractant, litteris exornantur, quibus eos, & fratres, & sorores imbuit vir doctissimus, ac omnimoda virtute conspicuus Feltrensis Victorinus.*

qua; deinde moenia, portasque regias, & veterem Abbatiae S. Zenonis Bibliothecam. Inde vero Cenomanos per campos, & Euganeos colles Patavinum ad agrum Zachariam conterraneum necessarium nostrum sua rura colentem convenimus; ubi postquam homines inter agrestes inculta sylvarum una, & agrorum culta lustravimus, alii per dumos pictas quaeritabant avibus aves, alii quidem escatis sub unda hamis variginos liqueate pisces sua pro voluptate curabant. Nempe animi praestantioris alii ad altos per invia lustra colles orthoceros insectari cervos, aprosve setigeros plerique venabulis, armis, canibusque percurrunt. Ego sed enim interea ut non omnes diei horas omni ex parte vacuas amitterem, utque non me meis totum inexpertem curis viderem, dum graeca librorum fragmenta, quae aliqua nuper Italiae ab Insula Phaeacum* advexeram, lectitarem, in eum incidi libellum, quem brevissimum de vir-

tute

* Corfù.

tute conſcripſerat Ariſtoteles ille Phyloſophorum egregius. At & quum is tam paucis exaraſſe literis conſpectaretur ea de inclyta re, quae tam divinarum, quam humanarum rerum omnium ſumma eſt, ut Latiis non foret ignotus, praedigne Paulo Pergulenſi viro philoſophico optimo transducendum; latineque tranſmittendum curavi; utpote quem virtutum alumnae Philoſophiae cultorem, exornatoremque hominem diligentiſſimum cognovi, a qua qui penitus diſcipli-na alieni ſunt, Platone auctore moeſtam, & lugubrem vitam agere exploratiſſimum eſt. Exinde me Ferrariam ſecundum per Eridanum contuli novam, pulcherrimamque ex antiquiſſima Adria, ut putamus, Coloniam, ubi Eſtenſem (1) Principem ſe-

1 Nicolaum puta, de quo, ejuſque filiis ita Blondus in Rouandiola: *Habuit Ferraria per aetatem noſtram praeſtantiſſimum Principem Nicolaum Eſtenſem, cui ad ſummam gloriam nihil praeter literarum ornamenta defuit, quam felicitatis partem additam vidimus Principi Leonello, quem nuper amiſimus. Et novus Marchio Borſius etſi ſit-*

ſerenum, natoſque ſuos illuſtres Leonellum Equitem Caeſareum, Meliaducem, Borſiumque, & affinem eorumdem Salutiarum Marchionem nobiliſſimum (1) Ludovicum comperimus, nec non primarios in aula ſua inſignes, & ornatiſſimos viros Ugutionem magnificum, praeclaroſque geminos Albertos Equites, Pium ſcilicet, & Scaleum vidimus quam jocunde, & utique Venetos, & Florentinos, & Philippi Ducis Angli Legatos Fantinum ſcilicet Michaelem virum patricium, Prodocimum, Comitem quoque Franciſcum Patavinos jureconſultos homines, & praeclaros, Pallantem Strozzium Equitem nobilem, atque Cumanum (2) opt.

Pon-

litterarum ornamento caret, humanitate tamen liberalitate, & prudentia genitorem Nicolaum nobis redolet.

1 Blondus in Lombardia: *Salutia Marchionum ejus cognominis illuſtrium patria, in qua Principem nunc habemus litteris & omnimoda virtute conſpicuum Ludovicum.*

2 Ideſt Comenſem: Nam cum in Cod. legeretur *Cumum* pro *Comum*, hinc pro *Comenſis Cumanus* dicebant, quum ſaltem *Cumenſis* eſſet dicendum.

Pontificem [1], quem poſtea B. M. Sacris Eccleſiae Tuae Cardinibus addidiſti. Qui & me poſtquam humane ſuſceperant compoſita ad VI. Kal. Majas pace principes ipſi nobiliſſimi Venetiarum urbem petentes una ſua cum gazaria conſpicua, & exornatiſſima navi per Padum adverſum & amnem, Foſſas & Clodianas Clodiam venimus exitialem adverſis claſſibus urbem, ac inde Venetiis Henetum praeclariſſimae, mirificaeque in mare Coloniae propinquavimus perpvantes Franciſco Foſcaro Duce Sereniſſimo Bucinatorio, ſplendidiſſimoque regio illo ſuo tametſi conſpicuo cum navigio, magnoque & ornatiſſimo civium coetu ſtipato, & ingenti caterva cimbarum ad lares uſque per liquidum omni cum decore, ac ſplendore ornato, ingentique juvenum

(1) Gerardum nempe Landrianum Mediolanenſem, qui primo Laudenſis Epiſcopus, mox ad Comenſem Eccleſiam fuit translatus ab Eugenio IV. anno 1437, a quo paulo poſt creatus fuit Preſbyter Cardinalis. Conſulendus Ughellius in Epiſcopis Comenſibus, & Laudenſibus.

num pompa honorificentissime comitante. Ac inde postquam per triduum omnia tantae civitatis vestigia oculis obversata perspeximus; ad sacram, & ornatissimam Leonidei Marci aedem perreximus. Aeneos primum illos, & arte conspicuos quadrijugales equos Phidiae nobile quidem opus, & insigne olim in Urbe belligeri Jani specimen Delubri non semel, sed dum placuerat, inspectare licuit. Secreta vero deinde intus, & delubri penetralia, sacra nobis relicta monumenta Divum, & pretiosa vidimus auri, atque lapidum, unionumque ingentia, & speciosissima gaza. Inter ostentantes egregia quaecumque, nonnulla preciosa vasa graecis insignita litteris Princeps ipse Franciscus Francisco Barbaro, mihique manu manibus, ut lectitaremus, exhibuerat, & maximum denique, singularissimumque civitatis amplissimae spectaculum vidimus illud ingens, & admirabile navistatium navalium omnigenum rerum fabrum, machinarumque

que copiosissimum. Abinde vero patriam repetens Hadriaca radendo littora scapha devectus ad Padi faucem adversis obviantibus euris adlabimur, ubi postquam per diem ad fluvii ripam angusta per tuguria adverso flatu, imbreque multo desuper affluente conscendimus cupiens antiquissimae solum videre Hadrianae Coloniae, cum pede per aggera Padi, tum demum cava trabe per amnem, & angustam fluvii faucem venimus ejusdem ad campos, & rara domorum, recensitaque pauperrima tecta paucis abitata colonis, paucissimisque exculta civibus. At quantum olim Italiae celebres inter Colonias nobilis Hadria civitas fuisset, nomen ab ea nostro inditum mari satis manifestum indicat. Nunc adeo certe longinqua vetustate deleta est, ut nullum hodie tantae civitatis vestigium appareat. Tantum mutare, & abolere valent edacissima illa dierum irreparabilium spacia. Concessimus inde paucis vetustatum literis visis, & col-

lectis

lectis lapidibus hinc inde, aeneisque nummis, & antiquissimis quibusdam fictilibus vasis, cui & uni Clemens erat inscriptum, & tamdem Japige perflante bono venimus Ariminum civitatem Flaminiae haud ignobilem, ubi Sigismundo Pandulphi filio Malatesta Principe clarissimo favitante, & Joanne Marco Physico praeclaro, rerumque peritissimo viro curante omnia civitatis egregia vidimus, & memoranda, sed in primis Flamineum celebrem illum Pontem, quem olim tantae urbi Divus Augustus, & Tiberius Caesares dedere, arcumque mirificum arte, quem S. P. Q. R. Divo ipsi Augusto Cos. VII. Desig. VIII. ob viam Flaminiam additam *celeberrimeis Italiae vieis* honorifice dedicarat Q. P. Q. N. A. C. Venimus inde Pisaurum, in qua egregia utique civitate Galeatio juvante Principe, & Baptista praeclara illa muliere, & conjuge nobilissima sua, nec non Mathaeo Pisano Physico illo doctissimo comitante quaeque civitatis ve-

tusta conspeximus, & in aula sex illas de marmore bases nobilium ex aere statuarum, quas olim splendidissimi Pisauriensium, Ariminensiumque Ordines silicum viarum procuratoribus dederant, quarum memoranda epigrammata una cum Ambrosino illo suo Equite praeclaro lectitavimus, & nostris haud indigna mandavimus Commentariis. Et inde Fanum fortunae proximam sibi civitatem vidimus advenientes, ibique affines . . . . . convenimus Boccacium Comitem, filiosque Antonium jureconsultum, Pandulphumque, & Malatestam nepotem, ac praeclarae indolis adolescentes Vincentium, Galeoctumque Thebanum, sed ante alios Petrum Ugolini viri clarissimi filium, quibuscum egregiae civitatis monumenta conspeximus, & inter nobiliora vetusta ab Augusto Caesare condita moenia L. Turcio Flaminiae, & Piceni (1) Provinciae Correctore curante. Hinc vero Urbinum concessimus olim Umbriae regionis

1. Vide Gruterum pag. 165. Num. 2.

nis caput insigne, ubi Guido Antonius Montisferetri Comes optimus, & illustris Princeps, natusque dilectissimus, & ingenuae indolis puer me postquam perbenigne susceperant, liberrime suum, & omne mihi praeclarum benivolentiae studium declararunt. Nam alia ut omittam, vidimus his curantibus ad sacram B. Crescentini aedem bina, & peregregia de marmore epigrammata, quorum alterum decreto Decurionum C. Glodieni Equitis statuae dedicationis gratia sporculam Decurionibus ipsis, municipibus vero epulas ex urbana plebe divisas continet, in altero quidem praeclarius in honorem L. Petroni Sabini viri clarissimi, & Imp. M. Antonino donationis in Germanico bello purae gestae, nec non vallarium, muraliumve coronarum mentio habetur egregia, quae omnia tum sua pro dignitate, tum & Principum tantorum, & sacri ejusdem civitatis Pontificis Antonini [1] Foro-Juliani

1 Antonii de S. Vito antea Archidiaconi Aquilejensis

gratia memoriae nostris antiquarum rerum Commentariis duximus adnotandum. Exinde vero concedens Anconitanam civitatem tuam, nostram & dulcem patriam revisi; nam & tuam merito civitatem dixi, quam & a te bis denos ante annos pro Martino Pontifice Legato dignissima in parte restitutam cognovimus, & quem Trajanus olim optimus, & prudentissimus Princeps condiderat portum, tu, Pater Piissime, Brincio concive, necessarioque nostro curante Praefecto, meque ratiocinante Quaestore ruinam magna ex parte minantem reparasti; ac magno studio, solertia, diligentiaque tua terra, marique omni cum ornatu, cultuque ad pristinam fere sui formam, splendoremque restituisti. Quamobrem dignissima tui, meique, & suavissimi amoris patriae gratia altius aliquid de ea antiquissima civitate antiqua ab origine hac in parte repetundum duxi. Est enim civitas Ancon illustris & praeclara, insigneque Piceni pro-

vin-

vinciae caput, cui etiam nomen dare pro excellentia meruit, ut Anconitana Marchia nuncuparetur. At & qui eam homines a principio condiderint, quave ex parte venerint non satis certum inter noſtros auctores Latinos, Graecoſve compertum habeo nimirum tam longo aevo commentariis non intercedentibus. Vere tamen qui dixerint ex Delo ſacra in Aegaeo, atque nobiliſſima Cycladum inſula Sacerdotes viros ex Dorica regione graecos ea forte tempeſtate praedonibus agitatos altum per Jonium, Illyricum, Adriaticumque transfretantes noſtrum tamdem ad promontorium cymba devectos aedem Divae Veneri, quae ſibi de Caelo benigna fuerat, ante littus in ſcopulo poſtquam dicaverant, initium civitati dediſſe, eique nomen ſitus opportunitate ad recurvi cubiti figuram graeco vocabulo Ancona merito compoſuiſſe. Quos deinde ſecuti ex Lydia, Jonia, Karia, atque Cilicia juvenes complures nobiles noſtra ad haec littora navibus ap-

 pli-

plicantes, locum postquam, illiusque habilem situm & incomparabilem cognoverant, ibi cum desilientes insedissent, incrementum eximium coeptae civitati dedisse. Nec equidem alii defuere, qui dicerent, Siculos quosdam antiquissimos populos tyrannicam fugientes edacitatem Laestrygonum, Cyclopumque Adriaticum littus Italiae perlegentes ad nostrum ipsum Apennini montis Promontorium Ancona liberam sibi Coloniam delegisse in solo fertili, aere sub aequo, & sub pede ejusdem Cimerici montis praecelsi, ubi Liburnorum in conspectu ad portum aquae conspectabantur, a quo ad Illyriam, Graeciam, Asiam, & Aegyptum, reliquas & gentium regiones saluber, ac facilis navigantibus pateret accessus. Hoc enim factum est pacto, ne umquam ibi deesset pulcherrimae libertatis nomen, specimen, decus, & ornamentum. At enim vero graecos inter aetate nostra notos auctores comperimus, quique nostris quotidie versantur in manibus, ma-

the-

thematicum illum clarissimum Claudium Ptolemaeum Alexandrinum hac de praeclara civitate trifariam, & egregiam mentionem habere. Posuerat enim in suo de Geographia [1] libro in Europae chorographia ad maritimas Italiae oras Marucinos inter, & Semnonas Cisalpinos Gallos Anconam Picenorum Provinciae insignem, primariamque Civitatem in Sinu Illyrico ad sinistrum Italiae littus, & egregium in Adriaco Apennini Montis Promontorio caput habentem ab occidente per longum gradus 36., atque binas quartas: latum vero ab aequinoctiali in arctum gradus 7. de quinquagies, & dimidium cumque sexto. Ubi vero montes in Italia descripserat, Apenninos primum ad Anconis Promontorium in Adriacum mare vergentes posuerat; Ubi tandem in fine de dierum altitudine nobilium in Italia Civitatum [2] mentionem habet,

1 Confer. Ptol. verba Lib. 3. Geogr. Cap. 1.
2 Vide eumdem Lib. VIII. Tab. VI.

bet , Anconem decem inter insignes Italiae Urbe descripsit habentem maximam anni diem horarum XV., atque tertiam horae partem, distantem ab Alexandria per occiduum hora una, atque binis quartis. Aliam vero ejusdem nominis urbem eo ab auctore toto terrarum orbe scriptam comperimus; nam in Cappadociae, nobilissimo Regno Leuco-Syren posita est Ancon. Sed quod ad suae cumulum claritatis accedit, hoc praecipue dignum commemorare, & peregregium nobis visum est; quod harum decem nobilium, & antiquarum Italiae urbium una haec Civitas Ancon sub tua Dei vicaria potestate ad nostrum usque diem unica, & pulchra civium democratica libertate floret. Reliquae vero omnes, Romam semper excipio, aut deletae penitus, aut tyrannica ditione subactae serviendo moestam, & lugubrem vitam agere exploratissimum est. Clitomachus vero multum ante suis (1) in commentariis

1 Haec impostorem redolent.

riis haec de Ancone scripta reliquit, ut & latine habetur ex Lino auctore praeclaro. *Fides primum Anconis lapidem cemento pressit divis manibus suis in loco Paratantino ad laevam pacati littoris semestribus decem, & quinquaginta ante Pergamorum flammas*: Domesticos praeterea auctores, qui celebre hujus nostrae civitatis nomen commemorant, Sanctitatem Tuam quoque percepisse, lectitasseque putavimus: Namque Tibullum (1) poetam haud ignobilem scripsisse cognovimus de Ancone haec sua per elegiaca verba vatisona:

Fides fixa tuo sancto de nomine dixti,
Quae tumidos illyris fluctus depelleret Ancon.

Lucanum vero Cordubensem dum in caussa belli civilis insignes ad utrumque Italiae littus describeret urbes; dixisse perlegimus.

Hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Ju-

1 Haec numquam scripsit Tibullus.

Juvenalem quidem (1) Satyricum dixisse novisti:

Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.

Quid memorem Q. deinde Curtium latinum historicum quidem nobilem, quem de Ancone haec in Trajanum Caesarem scripsisse percepimus. *Trajanus igitur Imperator per aequoris vada venit in civitatem, & in ripam cephalinam Thetidis curvae, ubi de se memoriam fecit spectaculum grande. Postea vero per colliseptam Picenum, & Alpibus Umbriam clausam in urbem profectus est.* Hujusce quidem rei nobile testimonium in hodiernum exstat insignem apud ejusdem civitatis portum marmoreus, & mirabilis arcus, quem desuper inclytus olim ille S. P. Q. R. huic optimo Principi, & ejusdem celeberrimi portus conditori auream equestrem statuam conspicuas inter Divae Martianae sororis, Plotinaeque jocundissimae conjugis imagines miro quidem architectoris opere dicarat hoc

110-

1 Sat. IV. vers. 40.

nobilissimo suo testante aureis litteris epigrammate.

IMP. CAES. DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO
OPT. AVG. GERMANIC. DACICO PONT. MAX.
TR. POT. XVIIII. IMP. XI. COS. VI. P. P. PROVI-
DENTISS. PRINCIPI S. P. Q. R. QVOD ACCES-
SUM ITALIAE HOC ETIAM ADDITO EX PECVNIA
SVA PORTV TVTIOREM NAVIGANTIBVS
REDDIDERIT.

	P	
	O	Divae
	R	Martianae
Plotinae		Aug.
Aug.	T	Sorori-
	V	ri Aug.
Conjug.	S	
	A	
Aug.	N	
	C	
	O	
	N	
	I	
	S	

Ipse

Ipſe etiam Princeps inclytus auream ejusdem ſtatuae, atque praeclaram imaginem huic tam egregiae civitati, civibuſque omne per aevum honorabile ſignum geſtare regia liberalitate donavit. Eiuſce vero ſplendentem iconis effigiem per publica noſtrae civitatis loca, purpureaque Praetoriana vexilla ſaepe per Latium, & Auſonias urbes eniteſcere non dubito. Habet enim praeterea noſtra haec civitas Ancon ornamenta; ut ſaepe vidiſti, alia quamplura. Sed inter potiora antiqua, atque nobilia undique ex cocto * latere moenia, maritimum ad frontem littus, treſque circumdantes ripales; & aereas arces, portas deinde regias, turres innumeras, & praecelſas, nec non ſacra ſuperis ornata, atque ſpecioſa delubra, alta quoque magiſtratuum Praetoria, civiumque palatia & conſpicuas aedes, marmoreos atque arcus, & geſtarum rerum monumenta, ſcaenas, columnas, ſtatuarumque fragmenta, baſes, epigrammata, fontes, & aquaeductus. Quin & Arenarum

rum ingentia antiquissimae, & Numidicae architecturae, loca praeeminentia, urbis amphitheatra magnum indicium splendoris primaevi tam praeclarae civitatis, ac familiae reverendissimae vetustatis. Etenim ut finem demum faciamus, ne quidem hoc loco praeteream disjectas olim tridente a civibus alma pro libertate Cataldeae altissimae arcis moles, & machinarum vi avulsa ripis per urbem, & ariete crebro, muralive concita tormento ingentia, atque immania saxa. Sed & qui sua memorem antiqua eadem pro libertate terra, marique gesta, & quae a principio, & ab auctoribus aliis praescripta graecis, quum nuper latine ex Leonardo Aretino nostro perlegamus in eo bello, quod Belisarius, & Narses Iustiniani Duces in Gothos gesserunt, circa eam urbem VII., & LXX. navium classe insigniter pugnatum esse, ex qua demum cives superiores oppidum liberum, incolumeque servasse in melius, & auxisse. Vidisti deinde exoptabilius Pater Optime,

me, politicam illam civium modestiam, & honestatem, quietem, pacem, unionem, concordiam, humanitatem, religionem, placidamque, & democraticam libertatem, nec non pietatem, devotionem, fidem, & tuam erga Beatam, & ineffabilem Majestatem insuperabilem observantiam, & integritatem. Quae omnia clementiam, & affectionem tuam ad eam ipsam civitatem nostram optime diligendam, amandamque cognovimus allexisse, tuamque non parvam virtutis magnitudinem excitasse, ex quo qualia tunc, & postea a summo Sedis apice, quantave nobis largita immortalia beneficia sint, longum esset hac in parte recensere, nec opis nostrae esset pro his Sanctitati Tuae dignas quodammodo grates rependere, sed ex alto quicumque pios humani generis actus, mentem, caritatem, fidemque respectat, praemia tibi digna, atque benemerita ferat. Hinc ego rei nostrae gratia, & magno utique, & innato visendi orbis desiderio primum

Ita-

Italiae posthabitis urbibus Aegyptum petens, & Memphiticam Babylona navim Benevenuto Anconitano Scoctigolo ductitante praefecto conscendi, & nostrum tandem per Adriaticum Illyricumque, & altum per Ionium Ceraunia promontoria bonis euris transfretantes Liburneis, Dalmaticisque, nec non Epiri Phaeacibus, Laertiaque per aequora, Odysseave Cephaloneis, Zacyntheisque visis, & absconditis insulis Cretam magni Iovis Insulam superavimus, & inde Lybicum per immensum Alexandriam denique nobilissimam Aegypti venimus urbem, ubi primum antiqui Phari praecelsi vestigia vidimus, & eximiae urbis moenia, portasque ingentes, & vetustatum egregia plurima extra, intusque conspeximus. Sed inter potiora ad ipsa Ptolemaeja regia immanem illum numidicum olim a Philadelpho e Thebis advectum obeliscum vidimus, & extra civitatis muros pipeream prope portam vidimus maximam illam columnam, quam in-

certum vulgus hodie Pompejanam appellat, & nos verius Alexandricam Regis, quam Dinocratem nobilem architectum eximiam per basim antiquo ex epigrammate novimus erexisse. Equidem inde Icaream amplissimam civitatem petens amoenam per Trajanam Nilei fluvii fossam barbaram, geruntamque cymbam amplum ad Nilum venimus, & adverso novenos per dies amne superato Regiam illam magnam Soltanei Principis venimus. Sed quis nam diceret quam ingentem, domorum multitudine confertam, populosam, & barbarica omnigenum ope copiosissimam vidimus urbem, immaniaque, & lapidum perornata foedae illius, & temeratae Deûm opinionis delubra? Sed quid memorem nostrae ob incuriam gentis dedecus pendentia alto in vestibulo templi Cyprii Regis pientissimi Jani spolia, insignem galeam, clypeumque, quod & forte saepius meminisse juvabit? Ego sed enim postquam omnia tantae civitatis fastigia vidi, & sua quaeque ani-
ma-

malia peregrina conspexi Dromedarios, Zozaphos, & immanes elephantum belluas, nec non antea per Nilum horrificos illos anguigenos crocodilos, tandem & quod magis optabam, & cuius gratia venimus, & tantos tranavimus amnes, ut Pyramidum miracula Memphis aspicerem, Saim Hispano interprete ducente regio ad metuendam me tanti Regis praesentiam contuli, qui quum meum tam eximiae rei desiderium percepisset, meam haud spreverat curiosam condicionem. Quin & eo jubente, ipsoque Saim interprete percurante intumescentes ea tempestate Nili difficultates superavimus, & ad Pyramides ipsas nonis Septembris venimus, quarum cum procul admirabilem operis magnitudinem adspexissem, vetusta omnia prae his praetermittenda esse putavi. Nam ita ingentes, & mirifico architectorum opere conspicuas vidimus lapidum moles, ut vel tantum humani generis opus nusquam terris editum crederem, quum & a solo bina fere

ſtadia latitudinis quaelibet ampliſſimae parietis facies habebat, tantaeque altitudinis X, & ipſos parietes ad ſummum ſui verticem pyramidalem in figuram vidimus aſcendentes, quarumque ad maximam antiquiſſimum Phoenicibus caracteribus epigramma conſpeximus, ignotum noſtra aetate hominibus puto ob longinquam aevi vetuſtatem, & magnarum, & antiquiſſimarum artium imperitiam, & deſuetudinem, quod & tamen excepimus ut admirabile, ac noſtris praedigne adjecimus commentariis, nec non primum exemplar Florentiam noſtro Nicolao Niccolo viro in primis hatum curioſiſſimo rerum miſimus, & alterum poſtea ſimile ad hanc utique floreutiſſimam Tuſcorum urbem.

Beatitudinis T. Deditiſs.
KYRIACUS ANCONITANUS.

EPI-

EPISTOLA I.

PATRI IN CHRISTO VENERABILISSIMO

D. JOANNI RICINATI

Raguseae Metropolitanae Ecclesiae Pontifici B. M. KYRIACUS ANCONITANUS devotus Servus fel.

De Ricineti conditore, ac de utilitate veterum monumentorum.

IMP. CAESARI . L. VERI. AVG. FIL. DIVI . PII NEP.
DIVI . HADRIANI . PRON. DIVI . TRAJANI .
PARTH. ABNEP. DIVI . NERVAE . ADNEPOTI . L.
SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVGVSTO.
ARABICO . ADIABENICO . PARTHICO . MAXIMO
P. M. TRIBVNIC. POTEST. XIII. IMP. XI.
COSS. III. P. P. COLONIA . HELVIA . RICINA
CONDITORI . SVO .

EPigramma hoc praeclarum ex me apud Maceretum exacta tempestate compertum eam ob rem hodie venerationi tuae hoc loco reponen-

dum delegi, venerandissime Praesul, ut ex eo perfacile videas, insignem illum pietate Principem Severum tuarum decus, & specimen legum antiquam illam in Piceno Coloniam condidisse, quae olim in Provincia egregiae illi patriae civitati tuae non longe abs se Oenotrio in colle longo murorum ordine, nostrum & prope Apennini montis promontorium nomen, & primaevam originem dedisse percipitur. Qua quidem in re sane poteris intelligere, vir diligentissime, vos quoque praeclaros novae ejusdem coloniae cineres, non quemadmodum diu jam incerto nomine consuestis, undique vocitari Recanatenses, quin immo vos rectius Ricinates nuncupari debere. E quo patet aperte, dignissime Pater, nos non modo abolita virorum insignia quandoque ab inferis suscitare, quin & civitatum utique nomina arte quippe nostra ab orco in lucem revocare posse. O magnam vim artis nostrae, ac penitus divinam! Siquidem dum vivimus, quae

diu

diu vivis viva, & praeclara fuere, & longi temporis labe, longaque semivivûm injuria obstrusa penitus, & defuncta jacebant, ex ea demum arte diva iterum vivos inter homines in lucem ab orco revocata vivent felicissima temporis reparatione. Sed enim inter Liguras nondum exacto biennio apud Vercellas antiquam ad Apenninos montes, & olim nobilem civitatem, & de qua Hieronymus senior ille noster suis epistolis in ea de septies percussa virgine particula mentionem habet, dum vetustis in sacris aedibus nostro de more aliquid verendae aeternitatis indagare coepissem, sacerdoti cuidam ignaro, quaenam mea ars esset interroganti ex tempore equidem respondi, mortuos quandoque ab Inferis suscitare Pythia illa inter vaticinia didici. Et haec ubi dicta, quum ibidem vulgarem, incertum, obstupescentemque reliquissem, artem vero meam haud relinquendam putavi. Vale

EPISTOLA II.

AD GEORGIUM BEGNUM JADERTINUM,

Virum doctum & amicum suum primarios inter compertundissimum ex proximo Corcyrae Insulae scopulo religioso.

De itinere suo ex Corcyra ad Dalmatiae Promontorium.

SCripsi ad te, vir optume Georgi, ex Corcyra caerulea insula, & antiquissima çervorum sede eodem, quo ad eam venimus, die. Sed continuo obsistente nobis adverso, & infestissimis fluctibus crebescente euro, in ea per triduum inviti consedimus. Quarto sed enim die, in conspectuque Insulae Promontorium Dalmatiae pauperrimum Cerere, Baccho sed opulentissimnm remorum vi navigavimus. In quo & ad binum morati

ti diem taedio tandem fessi diversa in salo saxa, & loca periculta lustravimus. Demum pridie Kalendas Decembres scopulum meliorem adivimus. Ibi primum aedem B. Virgini sacram vidimus, in qua non pauci religiosissimi viri, castissimum Seraphici Ordinem servant. Aquis cum ibidem ad primam diei horam adlaberemur, solemnem Andreae felicissimi Apostoli diem celebratam audivimus. Sed ut non me meis totum inexpertem curis viderem, hoc ad porticum aedis in angulo claustri, atque rotundissimo lapide epigramma (1) optumis insculptum litteris inveni, & hoc amicitiae tuae loco rescribendum curavi. Tu vale, & Barnabam nostrum φιλόθεον ἄνδρα, ac alios amicissimos, ut nos, ex me salutatum ibis. E praelibato religioso scopulo Kal. Decembris 1435.

Dixi

KYRIACUS *ubique tuus*.

III.

(1) Extat in Epistola, quae sequitur.

EPISTOLA III.

KYRIACUS FRANCISCO

Equiti, Crassoque salutem.

De itinere suo ex Jadera usque ad Acarnaniam.

EX Jadera diebus exactis, viri amicissimi, binas ad te, Francisce, litteras dedi. Nunc sed enim vobis ambobus imprimis carissimis de reliquo nostro hucusque itinere aliqua solatii loco intermiscendo dicam. Linquimus Jaderae Portum III. Kalen: Decembres Veneria quadam biremi, & dum nostrum ad iter per Illyricum navigaremus, obviante euro ad pridie Kal: Decembres scopulum ad quemdam Corcorae Dalmaticae Insulae proximum venimus, ubi primum aedem Beatae Virgini sacram vidimus, in qua viri religiosi non pau-

ci

ci castissimum Seraphici Ordinem servant. Aquis cum ibidem ad primam diei horam adlaberemur, solemnem Andreae Apostoli felicissimam diem celebratam audivimus. Sed ut non me meis totum & inexpertem curis viderem, hoc ad porticum Templi in angulo claustri, atque ornatissimo lapide epigramma vetustissimis insculptum litteris inveni.

D. M.
VRSINVS, ET EVTICIA
PARENTES INFELICES
VRSINO FILIO PIENTISSIMO
POS. ANN. XXV.

Id enim ob celeberrimum nomen praeclarae Cardinalis nostri domus, quem potissimum meo pro numine veneror, non aspernendum putavi. At enim post aliquot dies quiescente ponto exivimus. Inde ad VII. Idus Decembres, quo die dum nostrum ad iter remorum vi per aequora veheremur, Juleam prope faucem quaternas Ve-

ne-

netum onerarias triremes e Syria remeantes vidimus diversas aromatum species afferentes. Inde Catharum, Ulciniumque venimus, & tandem amisso Dyrrachio XII. Kal. Januarias Chimerium superavimus, quod nobile apud Epirum Neptuni Promontorium vestibulum ad Illyrici sinus fauces nautae Linguam vocant. Sed iterum in nos euro tumescente adverso proximum ad quemdam proporticulum servatam ex undis biremem occulimus. Hic primum nautae adducta e sylvis materie ignem e silicibus excitant. Tum vero generosus ille Venerius vir Thomas praefectus noster diversa per cynegesia, aliaque suos discreverat juvenes. Nam alii per dumos pictas quaeritant avibus aves, alii quidem escatis sub unda hamis varigenos laqueare pisces amabant. Sed animi praestantioris alii ad altos per invia lustra montes orthoceros insectari cervos plerique venabulis, armis, canibusque cucurrunt, qui primum favente Delia cervum praestanti corpo-

re

re a cane quodam indigena nuper agitatum videre, quem postquam balistarum, arcuumque sagittis, & hastilibus undique convenerant, ad extremam denique Promontorii rupem cervum aeripedem compulere, qui desperata terrarum undique fuga ferox tandem se magnum per Jonium credidit. Sed haud mora e nostris duo ardentiores animi juvenes alter Siculus quidam rubeus ex Catina, alter vero Liburneus ex Jadera exutis illico vestibus in undas & ipsi corruunt, & natantem feram ingentibus viribus, atque virtutis robore superarunt, & captam denique remenso gurgite ad littus exanimem vulneribus belluam ductitarunt, & protinus tergoribus exutum, & in partes divisum corpus ad puppim caputque, & viscera ducunt, dominumque praeterea donarunt. Latrantem interea praedae indicem angelum Deae collo revinctum duxerat Nicophorus, qui Macedonicus nobilis adolescens fidus domini Architriclinus erat. Alia vero ex par-

te

te alter cognomine Kojas, quem aera per liquidum raptaverat astor, expreta, quam antea coeperat, asperrima rostro cornice, magnum & longipedem obtulit. At enim piscator ille Bovodes pro piscibus varias lapigenas conchas detulit in medium. Tum praestans, & magnanimus ille vir Thomas laudatos a se juvenes purpurei Dei laetitiae spumante patera complet. Inde rapto quam breviter somno, vocatisque cujusque nostrum nomine in vota coelicolis de quarta vigilia omni jam residente flatu linquimus Linguae porticulum, & nostrum per iter Orientem versus Chimeri montis littora radimus. Inde per noctem Cassiopepolim Corcyrae Insulae civitatem vetustate dirutam praeterivimus, atque sponte Corcyrā civitatem ipsam, quam pestifero morbo laborantem audivimus, longe praeterlinquendam curavimus, & VII. Kal. Januarias Bothrotum antiquam in Epiro Trojani Heleni urbem venimus, ibique natalem humanati Jovis diem, quoniam apud

Cas-

Cassiopen, ut optavimus, colere ad sacram Almae Virginis aedem nequivimus, nautico more celebravimus. Provehimur inde remis, & nostrum ad iter die, noctuque placidi Neptuni liquidum sulcando campum Dodonaea secus littora Bargam, Phanarium Arnatiumque vidimus, & ad quintum denique Kalendas Januarii diem Dodonaeam ipsam venimus magnam, & nobilissimam Sylvam, ubi insignem prope Nicopolim vetustissimam civitatem, & antiquissima procul vidimus magni vestigia Jovis. Postero quidem die prope Arachthi fluvii ostia amoeno superato remis ad xx. miliaria amne arboribus praetexti variis, varioque volucrum cantu, pisciumque saltu laetati, nec minus ea praeda, quam ductabat a rupibus astor, Acarnaniam tamdem Arachtheam civitatem ipsam in ripa, quam tanto petivimus cursu, convenimus optimo juvante Jove. Ubi postquam consedimus, primarios inter quam primum vidimus spendidissimum ju-

juvenem Karolum praeclarae Neapolitanae Domus Tocchi generosissimam prolem, & inclytum Epirotarum, atque Serenissimum Regem, qui Thomam imprimis affinem, meque quanta hodie humanitate suscepit hisce non modo litteris, οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν plene satis mehercule dicere quivissem. Sed postquam magnam perambulavimus urbem, vidimus Acarnaniae vetustissimae civitatis egregias architectorum operibus portas, ac ingentia magnis, immanibusque congesta lapidibus moenia, statuasque arte conspicuas, & allatura vobis quinque, nobilissima atticis litteris epigrammata. Sed jam vos valere opto, & tantum, viri suavissimi, vobis nostrae de navigationis cursu velut inter jocandum dixi. De novis vero nullumaliqua ex parte Orientis motum audivimus. Vos etiam amicos ex more salutetis rogo. Sed inter primarios te, Francisce, spectabilem socerum tuum,

te-

teque, Crasse, Simonem optimum didascalum nostrum, atque Nicolaum Jurisconsultissimum virum. Ex Acarnania Urbe, eo, quo ad eam venimus, die IV. Kal. Januarii 1435.

EPISTOLA IV.

KYRIACUS GEORGIO RAGNAROLIO PISAURENSI.

Inclyti Epirotarum Regis Secretario.

De itinere suo ex Acarnania ad Astacora, & de visis ibi monumentis.

HEri, quo a te decessimus, quando cum cauda Phoebus caeli medium orbem conscenderat, Astacora, quam incolae rogum vocant, incolumes venimus juvante Deo. Ibi nam primum regiis oblatis literis Basilius optimus oppidanus Praefectus templi, ac custos ille monachus φιλοθεος quanta nos charitate, hospitalitateque susceperit, Prospero tuo dilecto filio referente cognoveris. Vidimus igitur in primis ad sacram Lucae Evangelistae sanctissimam aedem sacratissimum ab eo mortalibus nobis in solum re-

lictum incorruptibile corpus, atque Cri... Antiochenae Ecclesiae Praesbiteris sacrarum facundiae literarum sanctum, & incorruptum pedem, sacrumque Annae matris almae Virginis caput. Sed postquam monumenta veterum conspectare placuerat, vidimus oppidana circum vetustissima moenia lapidibus mira magnitudine, & diversa architectorum arte conspicua. Sed de his plura charus filius, qui ad te hodie Petro comitante famulo remeat, egoque cava trabe per amnem ad Dodonaeum Jovem, Nicopolimque vado, & inde ad te me statim conversurum scias optimo volente Jove. Vale, & Karoli Regiae majestati me percommissum exhibe, ac praestantissimo Thomae nostro. Tu interim vir amicissime, rem meam curabis. Ex arce Regia 3. Idus Januarii 1436

EPISTOLA V.

KARULO INCLYTO

Epirotarum Regi Kyriacus Anconitanus.

De suo itinere ex Astacore ad Dodonaeum Orionatium.

HOdie XIII. Kal. Juniarum die per nobiles, & vetustate collapsos Nicopolitanae civitatis aquaeductus Dodonaeum Orionatium venimus juvante Deo, ubi Turnum ηρωα filiae suae nuptias celebrantem inveni, bonoque pro nostri itineris ave. Turnus enim ipse, sibi postquam majestatis tuae litteras detuli, jucundo me vultu, animoque suscepit. Praetera ut aliquid Celsitudini tuae nunc solatii loco dicam, ita me bonis avibus ad te hac in tempestate contuli, ut omnia feliciora mihi, velque ad libitum secundarent. Nam alia ut omit-

omittam, trifariam te juvante Acherontem tranavimus amnem, & ut de novissimis dicam, dum Georgium Pisaurensem egregium oratorem tuum ex Leucate nuper navigaturum peterem, ad v. idus Maii ex Astacore Oceano submerso Phoebo navim per Acherontis ripam conscendi, & illico jusseram nautam me quamprimum per flumen transvectare. Coeperat ille per undam medias inter sylvas iter Luna sub incerta, & ubi Jupiter Coelum nubibus obtexerat umbrosis, & atra jam nox terras fuscis amplecteretur alis, omnemque omnibus colorem rebus abstulerat, inde me sopor habuit, & Karoneus ille squallentissimus nauta cavam trabem, qua me per amnem subvectabat, ad arborem alligavit, & navigationem ad diem traxerat, melioremque, & securiorem invenimus. Igitur Leucatae adhuc morante apud Actium nobilissimam Civitatem exoptatum Georgium nostrum, quocum exacta re feliciter, ad tuam regiam statim, me remanente,

vidisti. Te, quam bene, & meliorem valere desidero. Ex Orionatio eo, quo ad eum venimus, supra jam dicto die 1436.

EPISTOLA III.

KYRIACUS ANCONITANUS

S. D. Danieli Sacerdoti optumo, & amico dulcissimo suo.

Memnonem se vidisse scribit, ac Lacedaemona esse profecturum.

MEmnonem vidi magnificum, & amicissimum nostrũ non ubi Spartanae, ut putavimus, sed ad claros Alphaei fluminis fontes, collesque inter invia lustra ad XV. Kal. Octobrias inveni. Ubi ad eum agrestes ex venatu viri undique convenerant, alii orthocerum cervum, alii vero ingentes afferentes ursam, nec non varigenos alii ab ipso Alphaei gurgite pisces adtulerant. Ipse, qui me primum lubentissime vidit, tuasque litteras, & in Joannem fecit dona, perjucunde suscepit. Optat enim insuper tuae

iterum optumae disciplinae filium ipsum committere, quae ut faciat, plura nostra sibi suasere verba. Tu interim vir suavissime vale, & Jannectum puerum omnimode percommissum habeto. Ex Praefecturae Memnonis prefati rure χερπινας sub gelido Phœbeae lampadis lumine subacto supra jam dicto die. Ego quidem Memnonis ductu Lacedaemona pergam, & interim Musacchum Agogitem remitto, per quem & pellem Cherpinidis ursae, ut ipsam ab aliquo hujus rei artifice curare facias. Iterum vale, & cedulam hic alligatam B. Marcello viro nobili, & amicissimo nostro reddendam curabis.

EPI-

EPISTOLA VII.

AD FRANCISCUM SCALAMONTIUM

Equitem Clarissimum.

Se bellorum historiam scripturum pollicetur, studiisque sacris operam deinceps navaturum.

POstquam me huic civitatis nostrae Sexviratus Ordini designatum, ipsum & gerentem magistratum vidisti, optume Francisce, binas mihi tuas, & peregregias dedisti epistolares omnes, quarum in altera me amplissimorum Venetûm, & viperei clarissimi Insubrium Ducis inclyta gesta conscribere summa cum ratione excitasti, in altera vos pie magis, & salubrius religione sacros almae, & orthodoxae fidei codices gentilitate posthabita colere, ac magno studio frequentius lectitare immensa cum dilectione, & charitate

meum

meum allicere animum conatus es. O eximiam ergo pietatem, affectionem, benivolentiam tuam, quod non modo hominem bonum me tuae deditissimum amicitiae habere delegisti, sed optimum, nempe religiosum Divûm, atque beatum, & insignium imitatorem virorum, atque sacrorum efficere voluisti. Praeclarissimum quippe primum opus, sed impar longe facultatis meae. Visnam me Atheniensem Thucydidem, Halicarnasseum Herodotum, Theophrastum, Eratosthenem, Aristobolum, Appianum, Arrianumque graeco aequare facundissimo historiarum eloquio? An Latino e nostris Varronem illum priscum, Patavinum Livium, Crispumque Sallustium aemulari, aut ipsum in Commentariis Divum Caium Caesarem pertentare me audentem conspicere? Verum enim non una in re mihi ineffabile tuum praeclarissimae benivolentiae studium declarasti, & mea quamvis parva, majora longe extollere decrevisti. Cui quidem immensae

affe-

affectioni tuae nescio quas umquam meritas possim, aut dignas persolvere grates, vel quo satis valeam ore mirabile tuum ingenium, & egregiam in dicendo facundiam laudare. Sed dicam tua per haec ornatissima dicta, ut de facundissimo Nestore divinus canebat Homerus: Τȣ̃ καὶ ἀπὸ γλωσσης μελιτος γλυκιων ῥέεν αυδη. Enim vero si quod avido mihi nostra haec deterior aetas nostro ingenio, studio, industriave in dicendo, scribendoque subministravit . . . . . quidem, & intestina nostra detestanda litigia. Sed triumphos habitura in hostes barbaros bella conscribere, ut jamdiu optarim, & tibi nostra in regia praescripserim Naumachia, animo magis pleno, ampliorive calamo, Jove annuente, curabo. Secundum vero sacricolendissimum, religiosumque munus amplecti ut & tibi morem gererem, & perennem ob illam abs te mihi perpollicitam felicitatem nullo interluctante medio mea pro facultate conabor. Nec unquam vero penitus veterum

veneranda gentilium diſciplina, aucto-ritateque neglecta optima ſemper pie-tate ſacros Tetrazygorum codices, ac beatos propter plurimum omnes grae-corum, latinorumque Theophoros ſumma cum animi jocunditate ſequar. Vale ex Ancone XV. Kal. Octobrias 1437. Ex publica Anconitanorum Sexviratus Aula.

EPISTOLA VIII.

AD P. IN CHRISTO REVERENDISSIMUM LUDOVICUM OPTIMUM

Aquilejensium Patriarcham Kyriacus Anconitanus.

***
**

Ludovico Scarampo gratulatur, quod ad Patriarchatum Aquilejensem evectus fuerit.

HOdie quam laeto nuncio percepimus, Reverendissime Pater, Eugenium Pontificem N. III. viginti novos Cardines sacris, & veteribus Ecclesiae Cardinibus addidisse, quos postquam ordine perlegimus, omnia ex Optimi, Maximique Pontificis optima providentia peracta cognovimus, cum te & aliis plerisque suis charioribus quidem & praedignis caute ad decentiorem aliam posthabitis diem ex omnium fidelium regionibus & Regnis optimos quoscumque noverat praedi-

dignos, & sapientissimos viros delegit. Nam ex amplissima Italica regione benemeritos quinque, ex Gallico vero nobilissimo Regno quatuor, ex Anglia, Albionave Britannica Insula unum, ex Hispana Castilia unum, ex Portu autem Galliae unum, ex Apollonia vero unum, ex Panonia unum, ex Germanico quidem Regno potentissimo unum, & e graeca demum exsterna, egregiaque natione laudatissime quoque duos, & peregregie dignos delegisse percepimus, unum scilicet ex Europae Sarmatia, quae nunc Russia dicitur, egregium Metropoliten, alterum vero Bessarionem illum doctissimum Cappadocem, nec non dignissimum Nicenae Metropolitanae Ecclesiae Pontificem. De tua denique interim e Florentina Sede ad Aquilejanum Patriarchatum promotione dignissima, dum ad clariorem dignitatis gradum te semper attollentem conspicio, in his tuae claritati pro cana illa mea in te fide, almaque vestali charitate gratulor. Etenim si te

tna

tua semper modestia mereri potius, quam appetere dignitatem cognoverim, prudentissime tamen Pontifex te tali Ecclesiae Antistitem designavit, qui cum te dudum magnarum, & vetustarum rerum amatorem, cultoremque cognoverat, ad antiquissimam, nobilissimamque olim Italiae urbem Aquilejam, Carniaeque Provinciae Metropolim deputarat. Nam si quando aetate nostra illam Optimus ille Deûm Pater per sacerdotem quempiam restitutam annuerit, per te unum restituendam opinor, qui te tamdju insigniter, & in dies maximis in rebus Ecclesiae provide, constanter, aequiter, pie, magnanimiterque gessisti. Nempe ut quem hac in re Principem imitandum videas, latinam hanc inscriptionem ex me ex eadem ipsa civitate alias inter exacta tempestate compertam hisce Reverendissimae P. T. rescribendam delegi. Valere te quamdiu feliciorem opto. Ex Ancone VIII. Kalendas Januarias 1439.

IMP.

IMP. CAES. INVICTVS AVG.
AQVILIENSIVM RESTITVTOR, ET CONDITOR
VIAM QVOQVE GEMINAM A PORTA
VSQVE AD PONTEM PER TYRONES JUVENTVT.
NOVAE ITALICAE SVAE DELECTVS
POSTERIOR LONGI TEMPORIS
LABE CORRVPTAM MVNIVIT, AC RESTITVIT.

FINIS.